L. XI. V

B. III. 45.

52

10,487/B

3/6

D. MICHAELIS ALBERTI,
POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARII AULICI, MEDICINÆ ET PHILOS. NATUR. PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII, ACADEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGÆ,

DISQUISITIO MEDICA
DE

MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO,

EX PRINCIPIIS
PHYSICIS, MORALIBUS ET MEDICIS
DEDUCTA,
VARIIS OBSERVATIONIBUS UTILIBUS
ILLUSTRATA,
AD
RATIONALEM ATQUE SECURUM MEDICAMENTORUM
USUM ACCOMMODATA,
CUM VARIIS
REGULIS THERAPEUTICIS
ET INDICE NECESSARIO
INSTRUCTA.

HALÆ MAGD. APUD CHRIST. HENCKELIUM, Acad. Typ. 1720.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO INTRODUCTORIA DE COMMERCIO ANIMÆ, SIVE NATURÆ INCORPOREÆ CUM MEDIIS ET REMEDIIS CORPOREIS.


Bene Vivit qui Bene agit
D. de Superville
Regis Boruſſ: Conſiliar. ex
Reg.

DOctrina & diſquiſitio de *Anima* & hac quidem *immateriali*, quantis unquam eximiis difficultatibus expoſita fuerit, teſtantur numeroſiſſima documenta, ita ut à *prima ſcientiarum* & *artium* origine inter *Philoſophos* præcipue atque *Medicos* variæ operoſæ & *intricatæ* Pſychologiæ inſtitutæ deprehendantur : inter illas vero conſiderationes, quæ *ægerrime* componi & ſatis *perſpicue* proponi potuerant, illa merito præferenda eſt, qualem *nexum* & quale *commercium* anima hominis *immaterialis* cum *corpore* habeat, cum ipſi *effectus* quidem diverſi ſatis *manifeſte* teſtentur, *quod* illa anima cum ſuo corpore congrediatur: *quomodo* vero hoc contingat, ut *incorporeum* principium poſſit operari in *corporeum* ſubjectum, id *conceptu* ſemper difficile fuit, ob quam *difficultatem* multi ipſum *factum*, quaſi re bene acta, *negarunt* ; alii contra miſere ſe contorſerunt animamque *corpoream* ſive materialem ſtatuerunt, quo illam *cum corpore* conjungere valeant & *Hippocratis*, *Platonis*, *Galeni* ſententiam ſecuti ſunt, quo *craſſo* conceptui ſubveniant, indicentque, quomodo anima *corporea* corpus tanquam *habitaculum* ſuum *contingat*, impellat atque *trudat*: acceſſit tamen illa *confuſio*, quod hæc anima *corporea* non ſit anima *rationalis*, ſed illud principium *intermedium*, quod vulgo *Spirituum* nomine ſalutatum fuerat, *per quod* anima incorporea *in corpus operari* ſupponebatur; quod vero *immateriale* principi-

um immediate aut *proxime* etiam in *materiale* ſubjectum *agere* poſſit, id conſtanter ex *illa ratione* negarunt, quia hoc commercium *concipi* non poteſt: *exinde* emanarunt aliæ *connexæ* negationes, videlicet quod anima *rationalis* non ſit *natura*, quod *remedia* tanquam ſubjecta *materialia* nullum *commercium* habeant cum *anima rationali*, ſive quod non operentur in hanc animam incorpoream, licet ex ſchola *Hippocratis* & *Galeni*, inter poſteros vero ex mente *Carteſii* ſupponatur & aſſeratur, quod res *corporeæ* omnino *in animum* agant, uti *Hippocrates Lib. de flatibus* §. *20. text. 3.* de ſanguine dicit: *opinor autem inter omnia, quæ in corpore ſunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quam ſanguinem*, quo ſpectat quod idem Senex in *Libris de Diæta* aliquoties aſſeruerit, quod congrua *diæta* ſaniorem & *ſapientiorem* reddat *animum*: uti *L. I. de Diæta* aſſerit: *conducit ad ſapientiam hominibus, minimè ut ſint carnoſi*: ita *Maubeccius* Medicus Monſpelienſis in tr. *principes phyſiques de la raiſon & de paſſions des hommes* in illa plane opinione hæret quaſi *ratio* humana à nuda *materiali* & *mechanica* corporis diſpoſitione pendeat: ſubinde nonnulli ex illo phænomeno, quod *Galenus in Libr. quod animi mores ſequantur temperamentum corporis*, expoſuit, dum inter ordines & *proportiones* motuum *vitalium* & *moralium harmonia* intercedit, concludunt, quaſi *motus* ad *corporis* œconomiam pertinentes, *efficiant* atque producant motus *rationis* ſive *morales*, adeoque *confundunt* illos reſpectus, quando motus morales *ſecundum* vitalium motuum *ordinem* accommodantur, & quando illi *ab his* neceſſitantur, aut plane adminiſtrantur: ita porro idem *Galenus* ad *Thraſ. c. 37.* profitetur: *craſſus venter non parit ſubtilem intellectum*; & *D. Hieronymus in Ep.* dicit: *venter pinguis non generat ſenſum tenuem*: hiſce diverſis animadverſionibus placet illius mechanicorum *promachi* mentionem facere, nimirum *Carteſii*, qui in *Lib. de Method. S. 6.* dicit: *animus adeo à tem-*

à temperamento & diſpoſitione organorum corporis pendet, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat, credam illam in Medicina quæri debere : ex quibus ſingulis ſuffragiis illud tantum inferre & indicare lubet, quomodo omni *ferme* tempore illa *opinio* floruerit, quod *materiale* operetur in *immateriale* : aſt miſſis aliis conſiderationibus, quæ in hac doctrina proponi poſſent, non inutilis erit illa diſquiſitio, *quomodo medicamenta operentur in animam*, aut quomodo *anima* immaterialis commercium habeat cum *remediis* materialibus : de eo enim perinde multi dubitarunt, quod *medicamenta* animam *rationalem* afficiant, quoniam *materiale* & *immateriale* ſubjectum ſe invicem *contingere* non poteſt, quoniam *remedia* tantum *corpus* afficiant, aut cum corpore cohæreant, anima vero *rationalis* cum corpore *nullum* commercium habeat, aut quoniam anima *illis mediis* deſtituta ſit, quibus remedia *comprehendere* & cum iisdem congredi queat & quales ſimiles rationes proferuntur : aſt ſi vel *leviter* tales rationes advertimus, tunc eædem in craſſa *petitione principii* conſiſtunt, deinde *ſimpliciſſimis* maximeq; *evidentibus* effectibus & phænomenis repugnant & *communia* aſſerta *neotericorum* mechanicorum, quod *corpus animam* afficiat & alteret, negant & impugnant : quod & quomodo vero anima cum medicamentis congrediatur varia comprobant argumenta, quæ levi opera etiam proferri poſſent, ſi propoſitum noſtrum atque occaſio concederet : Quod itaque *legitimæ* medicamentorum *operationes* animæ *rationalis* directorio indigeant, facilius intelligi poſſet, ſi prima illa *offenſio* & hæſitatio compoſita fuerit, videlicet *quomodo* poſſibile ſit, ut anima *incorporea* cum *medicamentis* convenire poſſit : brevib9 itaque hunc ſcrupulū eximere & hunc nodum gordium ſolvere laborabo : *Anima* eſt principium *ſentiens*, quod in hac rerum univerſitate ad *objectorū* comprehenſionem abſolute *ſen-*

 ſibus

ſibus indiget, quibus mediantibus *percipit*, quicquid occurrit: dum vero ad *ſenſationem* pertinet *attentio*, obſervatio, *organorum* ſenſoriorum debita *applicatio* & *perceptio*, hinc *ipſa ſentit*, minus vero *adæquate* dicitur, quod *corpus* ſentiat, quia corpus non *attendit*, obſervat & *percipit*: quare ipſe *Carteſius* hanc *perceptionem* pro *formali ſenſationis* ratione rectè declaravit: Neq; tantum hæc anima ſentit, quæ *proximius* ad *ipſam* & ad operationes reliquas *mentis* ſpectant, ſed etiam quæ *corpori* ſuo, quod inhabitat atque uſurpat, *utilia* vel *inutilia* ſunt, quo illa *amplecti*, hæc vero *averſari* queat: omnes vero porro ſenſus, qui *cum corpore* adminiſtrantur, nituntur *tactu*, quo objecta afficiunt *organa* & *inſtrumenta* ſenſationis: dum itaque *anima* rationalis *per illa* organa ſentit, neceſſario *ipſa* ab *objectis* in *organis* ſuis ſenſoriis *afficitur*, & hunc *contactum percipit*, deinde de eodem *judicat* atq; *convenienter* illa objecta tractat & *dirigit*: hinc mediante *ſenſu* anima rationalis & *immaterialis* cum objectis *materialibus* & in mundo obviis *congreditur*, quare *tot ſenſoria* organa *animæ* uſui atque *directorio* ſubſerviunt: ſi itaque conceditur quod *anima ſentiat*, quod etiam per ſanam rationem negari non poteſt, (quia quilibet, à præjudiciis liber è propria convictione agnoſcere poteſt, quam *activa* ſit anima in *organorum* ſenſoriorum *applicatione* & *directione*) *ſentit* vero anima objecta *corporea*, ergo datur *commercium* inter animam *incorpoream* & objecta *corporea*: ſed cum lepida illa *oblocutio* admodum obſoleta ſit, quod anima ſentiat *per ſpiritus*, ſive animam ſubordinatam *materialem*, hinc hic *craſſus* error perinde evitandus eſt, quia nititur illo perpetuo *præjudicio*, quaſi anima *rationalis* cum organis & *inſtrumentis* ſenſoriis ſine talibus *ſpiritibus* communionem habere nequeat: cum vi hujus *præjudicii* eadem *anima* ne quidem cum ſuppoſitis talibus *ſpiritibus* congredi poſſet: aſt quo minus in communicatione motuum *interceſſio* talium ſpirituum neceſſaria eſt, eo mi-

minus *neceſſe* erit, quo *anima* in actu *ſenſationis* ſpiritibus utatur, cum *ſenſatio* nihil aliud ſit, quam *motus* : neque quidem multiplices aliæ ſolidæ conſiderationes permittunt *comicis* & fabuloſis ejusmodi opinionibus aures præbere, quaſi aniles illi ſpiritus ad ſenſationis officium requirantur, cum vel quilibet prudens facilè agnoverit, quam ridiculæ narrationes & *ſuppoſitiones* ex ejusmodi traditione fluant: equidem proximius ex præmiſſa *demonſtratione* hanc *applicationem* formo: *Senſus* per *totum* corpus tam *internum* quam *externum* eſt *activus*, ſiquidem partes *nervoſæ* per *univerſum* corpus ſunt diſſeminatæ; *interna* ſenſatio æque ac *externa* abſolvitur *perceptione*: nullum vero *corporeum* ſubjectum *percipit*, ergo *internæ* ſenſationis principium eſt anima *incorporea* : *externi* ſenſus porro differunt diverſis *gradibus*, ergo etiam *internæ* ſenſationes non ſunt indiſcretim *craſſæ* & impetuoſæ: præterea æque ab *intra*, quam ab *extra* anima *rationalis* vel *bona* vel *mala* objecta *obſervare* & deinde *rite* tractare debet: Si itaque *medicamenta* vel ab *extra* vel ab *intra* applicantur, tunc eadem per *qualitates* ſuas *phyſicas corpus* afficiunt, id vero *corpus*, ut materia *non ſentit* aut *percipit*, ergo *has qualitates* tale principium obſervat, quod ſolam illam *capacitatem* habet, quo *percipiat*: eſt itaque hæc anima *rationalis* in *corpore* ſuo per *motus* congruos *ſenſitiva*, illud principium, quod remediorum *qualitates percipit*: & quo minus *objecta* externa *efficiunt*, quo oculus videat, aut auris audiat, ita æque minus *medicamenta efficiunt*, quo hæc aut alia interna *corporis pars* eadem *ſentiat*, aut ab iisdem *ſtimuletur*: hinc illa anima *rationalis*, præter quam *nihil aliud* in corpore humano *ſentit*, etiam oblata *remedia motu ſenſationis percipit*, deinde vero *ſecundum* illorum remediorum conditionem & *qualitatem* varios alios *effectus* producit: uti in *moralibus* negotiis *ſecundum externarum* ſenſationum indolem reliquas ſuas *actiones diſponere* ſolet, dum non

obje-

objecta animum *cogunt* aut neceſſitant, ſed dum anima *ſecundum* objectorum apprehenſionem deinde reliquas *æſtimationes*, deliberationes, dijudicationes, comparationes & applicationes *ſponte* inſtituit: ita *medicamenta* oblata *effectus* conſequentes non *neceſſitant*, ſed eadem *anima* utplurimum tales effectus verè *medicamentoſos* producit, diſponit, *format*, applicat & dirigit, adeo ut ex perpetua *harmonia* ſenſationis in *moralibus* & *vitalibus* negotiis veritas præſentis conſiderationis facile emineat: è quo *fundamento* prompte reliquæ *ſpecialiores applicationes* non modo fluunt, ſed & qualescunque oblocutiones facile ſolvi poterunt: Placuit itaque huic diſquiſitioni, qua Medicamentorum modum operandi in corpore vivo fuſius propoſui, hanc conſiderationem præviam & ad eandem doctrinam apprime ſpectantem præmittere, quo principalis hæc offenſio tempeſtive avertatur: hinc ſingulas has meas meditationes tam in Theoria, quam in Praxi medica utiles eſſe confido, quare easdem nunc publico uſui & communi utilitati expoſui; Deum precor, ut hos labores ſua gratia comitetur, quo illum ſcopum, quem intendi, nimirum gloriam altiſſimi & proximi commodum largo fructu aſſequantur.

PRÆFATIO.

M*Inima non curare Prætorem* pervulgato illo innotuit dicterio, quod in illos communi more & modo dici & duci ſolet, quibus publicum commodum concreditum eſt, quo illius promotioni atque augmento ſtudium operamque adhibeant; ſed cum hi & utile & neceſſarium promovere debeant, ita minima, tum minus neceſſaria tum minus utilia haud attendunt, neque illorum tractationi intenti ſunt, cum tot majora, digniora & præſtantiora commoda ſuperſint, quæ vel ſolum hominem requirunt, ut adeo in minimis circumſpicere otium haud ſuppeditetur: hinc illi, qui ingenuo & ſtrenuo animo neceſſaria curant atque tractant, indies obſervabunt, quantus numerus majorum & digniorum conſiderationum occurrat, quibus hactenus vel nulla vel inſufficiens cura adhibita fuit: Idem ſane in ſcientiis humanis attenta mente penſitandum eſt, quoniam inter illas res, circa quas intellectus humanus verſatur variæ ſpecies diſcre-

 pan-

pantis valoris & dignitatis occurſant, quæ vario modo animum detinere poſſunt: ne itaque in illarum ſelectu viliores & ignobiliores dignioribus & pretioſioribus præferantur, omni ſtudio & prudentia advertere convenit: Sed quoniam *ſuum cuique pulchrum*, ita continenti & vigili animo proſpiciendum eſt, ne dum quisquam minima tractat, maxima egiſſe videri geſtiat: quin rectius acclamare poſſumus illud *Virgilianum: nimium ne crede colori*, ſiquidem non illa propterea magnæ dignitatis argumenta ſunt; quæ curioſa, quæ ſpecioſa, quæ jucunda ſunt: & licet inquietos & vagos animos illud *Ciceronianum*, quod in proverbium abiit, *nihil dulcius, quam omnia ſcire*, excitare poſſit, tamen alterum illud Proverbium: *nihil inanius quam multa ſcire*, hunc pruritum compeſcere, demulcere & attentionem ad utilia & neceſſaria convertere poteſt: Et licet aliqui reputent, quod nihil minimum eſſe poſſit, quod non in eximios uſus atque ſingulares utilitates converti queat, attamen ſemper attentus animus inveniet digniores conſiderationes, quæ aliis multis modis præferri merentur: imo licet res maximæ, minima habeant initia, uti *Tullius Lib. V. de Finib.* dixit: *quod omnium rerum principia parva ſint, ſed ſuis progreſſionibus uſu augeantur*, tamen propterea in minimis acquieſcere non convenit, & ſi in una eademque re majores & nobiliores reſpectus præſto ſint, cur in minimis diu oberrabit? aut cum juxta *S. Baſilium Magnum orat. 6. modicum modico apponere non magis in argenti, quam in cujusque alterius ſcientiæ additione ad amplitudinem valere, exiſtimandum ſit*, aut uti, *Sylveira Lib. 4. in Evang. c. 12. n. 201.* dixit: *ad glorioſos triumphos non ſolum magna, ſed etiam par-*

va

va conveniunt: tamen ille non parum à ſcopo & ſpe ſua aberrabit, qui in parvis magna quærit, ſi non magna parvis addat & ſi poſthabitis altioribus reſpectibus, viliores & inferiores animadverſiones ſeligit atque pervolvit: eapropter vero minimè minimorum neglectui patrocinari lubet, illud tantum ſignificantes, quod dum minima, minimum uſum & fructum habeant, ita primarium hominis ſtudium eſſe debeat, quo majorem utilitatem principaliori induſtria proſequatur. A generaliori hac disquiſitione propius ad forum medicum accedimus & notamus, quod in eodem tam minores quam majores animadverſiones occurrant, imo quod per gravem errorem interdum è minimis maxima & è maximis minima fingantur; unde non niſi craſſæ & pernicioſæ confuſiones ſcientiam & artem medicam offendunt: quot non ſubtiles paſſim atque intricatæ conſiderationes in Theoria medica conſpiciuntur, quæ magis animum delectant, quam utilitatem & ipſam artem medicam adjuvant: quæ non paſſim circumvolant meditationes & diſceptationes de elementis cum corporis humani, tum etiam medicamentorum: quot non ſupponuntur & finguntur fermentorum ſpecies? quæ non excogitantur actiones & reactiones reciprocæ ſubtilium materiarum corpus conſtituentium? quales non analyſes corporis humani mixti inſtituuntur? quot non ſupponuntur materiæ activæ, corpus animale afficientes & impellentes? quantæ non inſtituuntur contortæ aſſimilationes cum corpore humano vivo & objectis atque ſubjectis, quæ homini plane non uſitata ſunt? quæ non circumvagantur variæ infirmæ, incertæ & otioſæ Theoriæ phyſicæ,

chymicæ, mechanicæ, botanicæ? quam operoſo conatu vires medicamentoſæ ex ipſis remediorum principiis non deducuntur & urgentur? quanta non incertitudine remediorum principia inquiruntur, ſupponuntur pro & contra ventilantur? quanto non arduo labore variæ ſtimulationes, effervescentiæ, mumiales impresſiones &c. producuntur & ut monſtroſus fœtus pariuntur? quam non obtuſo acumine tam ingenii, quam judicii, motus vitales ex neceſſitate quadam corporis configurati & contexti urgentur & coguntur? quanta non patientia & quanto non otio inquiruntur ſubtilitates ad nudum corpus pertinentes? quam non curioſe oculus armatus introſpicit figuras humorum, an ſint globoſæ, an cylindricæ, an cubicæ, an anguloſæ, an haſtatæ, an ramoſæ, an arcuatæ, an rhomboideæ, an hamatæ, an falcatæ, an pyramidales, an polyedræ &c.? quot non vagantur opiniones & indagationes de ſalibus inſtitutæ, an hæc ſint acida, an auſtera, an amara, an dulcia, an tartarea, an ammoniacalia, an muriatica, an ſaponaria, an alia lixivioſa alcalina, ac fixa, an volatilia &c.? Singulæ tales & hujus ſortis, claſſis & valoris plures aliæ meditationes in Theoria medica concurrentes, nobis minimæ dignitatis, exiſtimationis & utilitatis eſſe videntur: Quid communius eſt, quam ad propoſitam quæſtionem, quænam ad rationalem medicinam requirantur, reſponſionem hanc obtinere, quod phyſica cognitio corporis, notitia principiorum materialium, mixtionis, ſtructuræ, figuræ, proportionis, connexionis, læſionum corporis quoad partes fluidas & ſolidas, virium medicamentorum, modique medicamen-

mentorum operandi efficiant rationalem medicinam: ſed ſane vitio nobis verti haud facilè poteſt, ſi confidenter & ingenuè de tali rationali medicina ediſſeramus, quod juxta hodiernum ſtilum bonum quidem theoreticum, ſed malum Practicum efficiat, dum ſatis argute & acutè per varios tropos variasque figuras de diverſis ſubjectis ad medicinam ſpectantibus ſermo inſtituitur, qui an veritati & utilitati reſpondeat, alterius quæſtionis & indagationis eſt: & qualis non unquam labor adhibitus fuit in illo argumento Theoriæ Medicæ, quo modo operentur medicamenta in corpus? quæ non diſſentientes ſententiæ de hac conſideratione circumvolant? quot non curioſæ propoſitiones de hoc themate inculcari poſſunt? imo quam tenaciter theoria medico-phyſica in hanc animadverſionem defixa & immerſa eſt? ut non deſint, qui in hoc puncto & argumento eximium fundamentum medicinæ & documentum eruditionis medicæ hærere autumant! Licet vero talem diſquiſitionem minimorum claſſi annumeremus, tamen in mentem incidit illud quod *Rabbi Ben Azai* monet: *nullam rem unquam nihili facias, quantumvis tibi nullius ponderis eſſe videatur: cuique enim rei ſuus locus eſt &* uſus: & uti *Bernhardus* Lotharium Imperatorem monuit: in *Epiſt. ad Lothar. verendum eſt, ne minimorum neglectus, impedimentum ſit maximorum:* dum vero præſenti loco, ſtatu atque tempore nobis incumbit, quo Inaugurali quodam ſpecimine medicum quoddam Thema explicemus, propterea ſelegimus de MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO diſſerere: & cum ne minima quidem ſine divino auxi-

auxilio verè utilia eſſe poſſunt, propterea almam hanc cœleſtem benedictionem humillime exoramus, quo conatus noſtros ad ſalutarem ſcopum, effectum & eventum dirigat, comitetur & proſequatur.

§. I.

DE *Medicamentorum efficacia medicamentoſa* ſivè *modo operandi in corpore vivo* nobis diſſerentibus mox in memoriam incidit, quæ *Hippocrates in Lib. de decenti Habitu* proponit, quando dicit: *neque enim fieri poteſt, ut omnia medicus enumeret, medicamenta autem tum eorum ſimplices facultates, tum ſi quæ deſcriptæ ſunt, probe tibi memoria teneantur: in animi etiam notione reponantur, quæ ad morborum curationem pertinent, eorumque modi, quot & quomodo in ſingulis ſe habeant: hoc enim in re medica principium, medium & finem obtinet*: quo ipſo effato prudens Senex *medicamentorum* atque *medicationum* notitiam & *quomodo* in ſingulis ſe habeant, cognitionem & attentionem commendat; cum itaque cum medicamentorum *uſu*, etiam illorum *effectus* aut *relatio*, ſive ut *moderno* ſtilo exprimi ſolet, *actio in corpus vivum* (nam mortuum oleo in ungere velle, inanis labor eſſet) conjungi ſoleat, ita videtur, quaſi ad *hanc* animadverſionem, quam ſub manibus noſtris habemus, ipſe *aſſiduos* medicos & *rerum naturalium*, ſcrutatores invitaverit: & in hoc ipſo negotio laudatus ſenex *præiviſſe* videtur, quando in *Lib. de Natura Hominis* illum *modum*, quo *remedia* in *corpore humano operari* ſolent, aliquo modo & ſecundum *ſimplicem* ſuam *allegoriam* deſcribit §. *10. text, 6.* §. *11. text. 1. ſeq. etenim pharmacum ubi corpus intraverit, primum quidem ducit id, quod ex omnibus in corpore exiſtentibus ſibi maxime ſecundum natu-*

turam familiare fuerit: deinde vero etiam alia trahit ac purgat: quemadmodum ex Terra naſcentia & in ipſam plantata ac ſeminata, ubi in terram pervenerint, unum quodque trahit id, quod naturæ ſuæ familiare in terra exiſtit: ineſt autem in terra & acidum & amarum & dulce & ſalſum & cujusque modi: primum itaque plurimum ejus trahit in ſe ipſum, quod ſibi ipſi juxta naturam maxime familiare fuerit, deinde trahit etiam reliqua: hujusmodi ſane quiddam etiam pharmaca in corpore faciunt &c. non minus *Galenus* uti in variis locis, ita in *Commentar. I. in Lib. Hipp. de Nat. hum.* §. 6. dicit: *monſtratum etiam fuit, quod medicamenta omnia agant calefaciendo, vel frigefaciendo, vel ſiccando, vel humectando: eæ vero ſunt qualitates primæ effectrices & alteratrices corporum, ſicuti in Lib. de elementis ſecundum Hippocratem oſtendebamus: has vero ſequuntur qualitates, quæ attinent ad ſenſum guſtus, quarum nomina ſunt, adſtrictio, auſteritas, acerbitas, amaritudo, ſalſedo, acredo, aciditas, dulcedo ac pinguitudo, &c.* neque quidem *ſimilis* labor aliis *antiquis* medicis *incognitus*, aut *inuſitatus* fuit, ſed *illo loco* maxime tractatus obſervatur, ubi de *medicamentis* horumque *facultatibus* mentio incidit, licet deinde ſecundum *diverſitates temporum, morum hominum, nationum, opinionum* &c. diverſæ etiam explicationes de hoc *modo operandi* & efficacia *medicamentorum* innotuerint, ut propterea hic reſpectus *nullo fermè* tempore obliteratus ſit, licet *recentior* ætas de hoc negotio longe *ſubtilius* & *curioſius* agere deprehendatur: eapropter vero *arduum* videri poſſit, ex *tot opinionum* cumulo ſine *veritatis* jactura aut *confuſione* emergere poſſe, dum vel *antiqua* & *obſoleta* placita aſſumenda ſunt, vel *recentiorum curioſæ* & *ſpecioſæ* tricæ præferri debent, ut propterea nodus in ſcirpo quæratur, vel ex *antiquorum* & *recentiorum* opinionibus, *junctim* adhibitis, *confuſa mixtura* & *philoſophia eclectica* conficienda ſit: inde habebit prudens indagator, ut ſine macula trium-

B phum

phum canat & de ſimplicioris veritatis poſſeſſione gaudeat.

§. II.

Quod inſcriptionem ſive *titulum* præſentis tractationis attinet, tunc de eo impræſentiarum differere animus eſt, *quomodo* videlicet *medicamenta operentur*, ut *diverſus effectus*, ad uſus *medicos* neceſſarius, exinde deſultet, aut *qua ratione* & *ordine* medicamentis *vis medicamentoſa* adſcribenda ſit & quæ ſit *relatio remedii* ad *effectum illum*, qui ad variorum *morborum curam* ſpectat; an nimirum *hæc vis* medicamentorum ipſis illis remediis ſit *propria*, an ad effectus *medicamentoſos corpus* aliquod *activè* & *effectivè* contribuat, an *utriusque* & remedii & corporis *mutuus* concurſus ſatisfaciat, quo *medicus* talis effectus inde deſultet: haud vero ſine *ſingulari* animadverſione de modo operandi medicamentorum *in corpore vivo* agere conſtituimus, quoniam magna *differentia* intercedit inter *modum operandi talium* ſubjectorum, quæ *medicamenta* vocantur, in corpore *exanimato*, vita deſtituto & nude *phyſico* trunco & in *corpore vivo*: ſiquidem jam ipſa plebs annotavit, quomodo *remedia poſt mortem* hominum ad *citiorem corruptionem* diſponant, quomodo repentinam & inconſuetam *intumeſcentiam* abdominis, mutationem *coloris*, *flacciditatem* & *laxitatem* membrorum, *fluxum humorum adverſi odoris* & *coloris ex ore* &c. cauſentur: ſicut vero eximia differentia eſt inter *relationem* certarum cauſarum & ſubſtantiarum *phyſicarum* ad corpus humanum *mortuum* & *vivum*, ita in præſenti tractatione *principalis* illa erit diſquiſitio, *quomodo* medicamenta in *corpore vivo* operentur: neque reprehendenda eſt *Celſi* exclamatio in *Præfatione*, quando dicit: *nihil ſtultius eſt, quam quale quid vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam mortuo*: ea propter etiam peſſima *confuſio* eſt, quando à corpore *mortuo* ad *vivum* argumentationes inſtituuntur: ſed cum obſervatio

modi

modi operandi medicamentorum in corpore *mortuo*, neque *medicam* neque *realem phyſicam* utilitatem habeat, ea propter *ſterilis* labor eſſet, *aliena* tractare velle, cum potius *efficacia* medicamentorum in corpore *vivo* communi *conſenſu* ad forum *medicum* referatur: neque tamen propterea hæc *noſtra* obſervatio ut *ſuperflua* declaranda eſt, quoniam medicamenta ſtant in *relatione* ad hominem *vivum*, ſed ne hæc noſtra enunciatio de efficacia medicamentorum *in corpore vivo* pro ſterili & *inutili* æſtimari debeat, placuit eo ipſo inſignem illam *confuſionem* reſpectuum *phyſicorum* & *medicorum* evitare, imo inſuper *differentiam* inter corpus humanum *phyſicum* ſive *mixtum* & *vivum*, in quantum *medicis* reſpectibus magis accommodatum eſt, inſtituere: imo placuit eo ipſo *præoccupare*, ne *præmatura* concluſio formetur, quaſi omnia *phyſicis* effectibus nitantur & *relationem* ſuam habeant ad corpus, ut *nudum corpus*: inde ſecundum reliquam deductionem facile palam fiet, quantum inferat & referat noſſe, quod corpus *vivum* & corpus *mixtum* atque ſtructum non ſit *unum idemque*: nam ſi ſubſtantiæ, quæ in corpore *vivo medicamenta* dicuntur, ad corpus humanum *mortuum* applicantur, velut nuda *materia* ad *ſimplicem materiam* pervenit & una *phyſica* qualitas, aliam *ſimilem* qualitatem attingit, tunc longe *alii effectus* proveniunt, quam ſi certæ materiæ, cum certis *phyſicis* qualitatibus præditæ, ad corpus *animatum*, *vivum* atque *ſentiens* applicantur.

§. III.

Utut vero hæc diſquiſitio de *modo operandi medicamentorum in corpore vivo* ſecundum *diverſum* reſpectum inſtitui poteſt, attamen haud injuſta moveri etiam poteſt *quæſtio*, quidnam *utilitatis* hæc notitia, quomodo nimirum medicamenta operentur, ad *Medicinam* afferat, ſiquidem ille *primarius* artis medicæ *ſcopus* eſt, quo *illarum* circumſtantiarum veras, ſimplices & genuinas cauſas inquirat &

intelligat, quæ ad morbos *inferendos, conſervandos* & *confirmandos* faciunt, quo iisdem convenienter *ſuccurrere* queat: videtur enim hanc *viliſſimam* eſſe animadverſionem, quo modo videlicet media & *inſtrumenta* ad *effectus* neceſſarios producendos *cooperentur*: hæc enim notitia non *efficit medicum rationalem:* & ſive *hoc* ſive *alio modo* medicamentum operetur, ſuffecerit noſſe *certum* alicujus remedii *effectum* & in quo *gradu* hic conſiſtat: ſicut enim *Conringius in Introd. in art. Med. cap. 1.* dixit: *utrum cor ſit muſculus, an cerebrum, hepar, renes, ex glandulis componantur, multaque hujusmodi quæ ad partium naturam & eſſentiam pertinent, non ſunt ſcitu ad curationem neceſſaria, medico elegantiori tamen nota eſſe debent;* ita etiam de præſenti tractatione facile quisquam aſſeverare poſſet, utrum medicamentum *hac* aut *alia* operetur ratione, *quid hæc ad medicinam?* cum hæc rectius ad *phyſicam* aliquam *ſpeculationem* quadrare poſſent: *prudens* enim artifex in quolibet officio *non de eo* ſollicitus eſt, ut exactè noſcat, *quomodo* illius *inſtrumenta operentur*, ſed quomodo *recte applicari* debeant, quo *ſalutaris* exinde effectus impetretur: hic vero *modus applicandi* non conſiſtit, in *modo operandi*, quoniam ille, nimirum modus prudentis & ſalutaris applicationis, nititur vera cognitione *cauſæ* morbi, ut propterea abunde ſuffecerit cognitio *effectuum*, quos medicamenta exſerere ſolent: Aſt huic oblocutioni mirum in modum adverſantur illi, qui minutias *phyſicas* aliis *ſolidioribus* conſiderationibus præferre ſciunt, qui pro *fundamento* ponunt, quod indagatio *principiorum* corporum, eorumque *virium, modique operandi* eò præcipuam *utilitatem* afferat, quo certis *cauſis* & principiis materialibus *morbificis*, horumque *efficaciis* & certo *operandi modo* alia *congrua* adminicula opponi poſſent: v. g. ſi ſubjecta ob *tenuitatem* & mobilitatem ſuam *craſſiores* ſub-

ſtan-

ſtantias aggrediuntur in easdem ſe *inſinuant*, illas in *motum* rapiunt, adeoque diſtrahunt & *divellunt*, eapropter ob hanc cognitionem *modi operandi* talia ſubjecta & facilius & confidentius in *obſtructionibus*, *infarctibus*, humorum *ſpiſſitudine* &c. adhiberi poſſent &c. ſed hæc argumentatio nimium quantum *limitata* & reſtricta eſſe deprehenditur, quando attenta & provida experientia medica conciliatur: unde ob *phyſicam* talem dijudicationem, præſens tractatio *æſtimanda* haud eſt, cum *ſubtilis* illa disquiſitio & & *ſpeculativa* applicatio ad corpus *vivum* & artem *exacte medicam*, utplurimum *fallax*, dubia, inutilis & ſterilis eſſe deprehendatur: neque etiam parum detrimenti *Theoriæ*, imprimis *medicæ*, affert, quando circa hanc operationem medicamentorum tot *diſſentientes* opiniones circumvolant, quæ potius animum *confundunt* & à veritate detinent atque diſtrahunt: quapropter etiam maxima *cautela* neceſſaria eſt, ne tam *ſubtilibus* contemplationibus animus nimium inhæreat: quo *ſubtilius* enim de tali circumſtantia *medicus* meditatur, eo *craſſius veritatem* obſcurat atque offendit.

§. IV.

Sed ne præſentem conſiderationem plane rejiciamus, neve nos *ipſimet* videamur in hiſce *minutiis* hærere & operam ac tempus perdere, eapropter *aliquot utilitates*, ex hac tractatione profluentes, annotabimus: & ita 1) non parum hæc disquiſitio contribuit ad illuſtrandam & confirmandam *differentiam* inter corpus humanum *vivum* & *mixtum*, dum ex *effectibus* & *modo operandi* medicamentorum elucеſcit, an medicamenta *ſimplicem phyſicam* relationem habeant ad *corpus*, an vero *motus* quidam *altioris* influxus atque *regiminis* cum iisdem congrediantur & ad *vitalem* ſtatum magis pertineant, quam ad nudas affectiones *corporis*: 2) juvat hæc conſideratio ad meliorem illuſtrationem *œconomiæ motuum vitalium*, quo horum efficacia in *aſ-*

 ſu-

ſumendis, *dirigendis* & *applicandis remediis* magis inclareſcat & quo eo ipſo magis illuceſcat, quid *à motibus*, aut quid *à materiis* proveniat, ne in hac theoretica conſideratione gravis quædam *confuſiò* ſuboriatur, qualis vulgo tam in *phyſicis*, quam *medicis* contemplationibus circa *diverſitatem motus* & *materiæ* occurrit: 3) & quanquam *ſibi relicta* hæc tractatio practica, uſum *vere* & *ſtricte medicum* parum adjuvet, tamen in *conciliatione*, collatione & ſubordinatione aliarum *circumſtantiarum* aliorumque *reſpectuum*, non parum ad *Theoriæ medicæ* confirmationem, *emendationem*, augmentationem & *veritatem* contribuit: imprimis vero 4) *certitudinem* & *evidentiam* doctrinæ de *natura* promovet, magisque evincit, quod in corpore noſtro non *ſimplices materiarum* facultates dominentur, ſed quod *nobilius* & *rationale* plane principium motuum *vitalium ordines* & differentes *applicationes* inveniat, exerceat & dirigat: fruſtra enim eſſet, de *corpore* humano, ut *nuda materia* prædicare velle, quod *ſtimulari*, *vellicari*, irritari poſſit, ſiquidem hæc philoſophia ſano ſenſui repugnaret, quando *corpori* illa facultas adſcriberetur, quod inductas roſiones *percipere* & ſecundum illam perceptionem motus *variare* & *rite applicare* queat: 5) eò etiam hæc tractatio inſervit, quo illam *veritatem* magis inculcet & *confirmet*, quod in corpore noſtro *ſubtilis* atque efficax *ſenſus* ſuccedat, qui ad *boni* & *mali*, *utilis* & *inutilis tractationem* & *directionem* requiritur: 6) nec non ulterius eò inſervit, quo notitia de *perſonali* hominum *ſenſibilitate* magis inclareſcat, utpote *cum tali* ſenſibilitate *medicamenta* horumque *modus operandi* eximium *commercium* habet: 7) ſubinde etiam inculcat, quam parum artifex *nudis* remediorum *elogiis* & præſcriptis *formulis* atque *doſibus fidere* debeat, cum non ſufficiat, noſſe, quomodo hoc, aut alio *modo*, hoc vel *illud remedium* operetur, ſed quomodo hæc notitia eo *applicari* debeat, an etiam hoc vel illud *ſubjectum* atque *temperamentum*

tum

tum, hic vel ille *ſexus*, hæc vel illa *ætas* &c. hunc aut alium modum operandi perferre queat: 8) inſuper etiam *certiorat* artificem hæc conſideratio, quam longe major dignitas & utilitas hæreat in reſpectu illo, quod ad *œconomiam vitalem* gubernandam & ſecurè adjuvandam longe plus *motuum vitalium* efficacia, quam *materiarum qualitates* conferant, ſiquidem utplurimum *remediorum capacitas* ad *ſalutarium* finium conciliationem parum conferret, ni *primariò motus vitales* concurrerent: 9) interdum etiam hæc notitia *enodat* & explicat cauſarum *lædentium* vim & *efficaciam*, ut eo ipſo è certiori *fundamento* artifex illarum cauſarum *moderationi* & *expugnationi* operam dare poſſet, v. g. quando ex experimentis *phyſico-chymicis* conſtat, quod *terrea* corpora *corroſivorum* humorum *cauſticitatem* temperent, quod *acida pinguia* & gelatinoſa ſubjecta coagulent & inſpiſſent, dum cum *mucida* illarum parte *coaleſcunt*, harumque liberam *fluiditatem* impediunt, &c. tunc ex ejusmodi veritatibus varias *ſpecialiſſimas* concluſiones practicas formare poteſt artifex, quænam *optima* ſint remedia in *dyſcraſia* humorum *ſalina*, *bilioſa*, *aceſcente*, *acri*, *cauſtica*, &c. quænam conferant in nimia humorum *tenuitate* &c. 10) & hoc ipſo etiam reſpectu, aliquid utilitatis hæc notitia ad *nexum Theoriæ* cum *praxi* confert, dum *cauſas morbificas* detegere & ſuper hoc fundamentum reliquam Therapiam in variis occaſionibus ſtruere adjuvat: 11) & cum *minorum* circumſtantiarum cognitio ad *majores* veritates aditum pandit, ita pro ornamento ad *minimum* medici ſpectat, quo harum rerum cauſas reddere poſſit: rectè enim *Celſus in præfatione* dixit: *Contemplatio naturæ rerum, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinæ reddit.* 12) denique hæc notitia ad *circumſpectiorem* ipſorum remediorum *uſum* artificem allicit & inſtruit, dum cum talibus medicamentis, quæ per modum *ſtimulationis* & fortioris *impulſivæ* commotionis operantur, *cautius*

pro-

procedere diſcunt, neque plebejis illis dicteriis auf einen harten Kloß, gehört ein harter Keil: viel hilfft viel, &c. aſſenſum præbent.

§. V.

Dum vero de *vulgari* illa tractatione *modi operandi medicamentorum generale* quoddam judicium ferre volumus, minime reticere poſſumus, quod illa conſideratio ad *phyſicum magis*, quam *medicum* ſcopum ſpectet, dum *primo* explorantur *principia* remediorum conſtitutiva, quæ ſub multis difficultatibus, *ambiguitatibus* & oblocutionibus demum nominantur: *deinde* horum principiorum *qualitates* inquiruntur, quæ perinde etiam interdum ſatis *æquivocæ* ſunt, dum quoad *ſpecialiſſimos* effectus & *individuales* circumſtantias diſcrepant; *porro* ſupponuntur communiter *certa aſſerta* de corpore humano, cui remedia illa, horumque qualitates applicantur & quidem ſatis ſæpe *talia*, quæ corpori non *propria*, ſed *imputata* ſunt & *qualitatibus* medicamentorum *phyſicis* conſona, v. g. nunc *ſupponuntur* remedia afficere & certa quadam ſpecie certoque gradu efficaciæ partes *irritare*, hinc affluere *ſpiritus* aut ſuccum nerveum, inde hunc aut alium effectum pendere; nunc accuſatur *genus nervoſum*, quod à remediorum *ſalibus* diverſimode *vellicari* dicitur, indeque neſcias quam prompte effectus quidam derivatur: alibi vero certi *ſalium* & *ſaporum* diverſi *congreſſus* accuſantur & ex iisdem variæ *fermentationes*, *efferveſcentiæ* & *ſtimulationes* neceſſitantur, inde denique confuſo plane modo *medicamentoſi* effectus excogitantur, in quali conatu vero multiplices peralogiſmi occurrunt, qui plurima illa requiſita concernunt, quæ ad rationem corporis ut *vivi*, non vero *nude phyſici* pertinent: *denique* etiam ex illis remediorum *principiis*, horum *qualitatibus*, certisque *corporis proprietatibus* applicatio remediorum ad corpus inſtituitur, indeque meri effectus *phyſici* excogitantur & declamantur, ut adeo propter has con-

conſiderationes non ſine prægnanti cauſa & ſatis ſolido fundamento *communem* hanc rationem tractandi & explicandi *modum* remediorum operandi ad *phyſicam* magis quam *medicam* ſphæram retulerimus: neque in eo ab hisce *phyſicis* contemplationibus liberos deprehendimus *antiquiſſimos* theoreticos, qui ex una parte *medicamentis* certas qualitates *genericas* phyſicas adſignant & diverſos *gradus* harum qualitatum ſive *caloris*, ſive *frigoris*, ſive *humiditatis*, ſive *ſiccitatis* ſignificant; ex altera vero parte diverſis *corporis* partibus ſimiles diſcrepantes *qualitates phyſicas* imputant, neque tantum *ſimplices* tales facultates, ſed & certas illarum *intemperies*, ut propterea hoc vel aliud remedium in tali vel alio caſu prodeſſe dicatur, quia vel calidi vel frigidi temperamenti eſſe traditur: quæ obſoleta & æruginoſa ſententia, quantum veritati reſpondeat, ipſa attenta illius perluſtratio teſtabitur: poſt hæc theoremata, ad modum operandi medicamentorum applicata, innotuerunt alia, ſed perinde *nude phyſica*, quæ in *phyſicorum* & *chymicorum* ſchola nata & educata ſunt, quæ circa *diverſitatem ſalium* verſantur, inde varii diverſorum ſalium *conflictus*, *efferveſcentiæ*, *fermentationes*, *exaltationes*, *præcipitationes*, *ligationes*, *fixationes*, excogitatæ & ad effectus remediorum applicatæ, ſed ſane parili adverſa fortuna, quoniam talis theoria *utplurimum* in nudis *allegoriis* conſiſtebat: & licet *minimè* negemus, quod remedia ex diverſa *ſalium* ſpecie conſtent, tamen hæc *nuda* ſalia minime in exponendo *modo omne* punctum abſolvunt, quamvis *phyſicæ* illorum efficaciæ paſſim *aliquid* debeatur: *recentiſſimæ* denique ſententiæ circa modum remediorum operandi æque *mere phyſica* communiter tractant & præter principia medicamentorum *materialia* & vulgo pro *activis* habita, ſimul certam *corporis* diſpoſitionem & *relationem*, ſed ſane valde *intricatam* & *obſcuram*, ſupponunt & licet vi illius opinionis quidem aſſeratur, quod hæc aut illa re-

 me-

media ob ſuppoſitam talem relationem talem aut alium gradum motus excitent, tamen ejusmodi *demonſtratio* adhuc valde *obſcura* & mutila eſt, ut propterea hisce tenebris facem addere conveniat, quoniam *directio* effectus remedii, in *ventriculo* adhuc latitantis, ad *remota* loca & *diſſitas* regiones, non *nude phyſicis* cauſis nititur.

§. VI.

Antequam vero ad ſpecialiorem præſentis thematis explicationem progrediamur, placet antea *fundamentales* quasdam conſiderationes & *demonſtrationes* præmittere, quæ ad reliquam deductionem applicandæ erunt: primo memori mente tenendum eſt, quod ad diverſarum *adventitiarum materiarum* & cauſarum, tam *utilium*, quam *inutilium* juſtam applicationem & *tractationem altius directorium* requiratur, neque *nuda corporis* diſpoſitio aut ulla ſimplicior *materialis* affectio *ſatisfaciat*: propterea etiam *medicamentorum* plurimorum *applicatio* ad *ſalutarem* effectum & ſcopum, neque ab ipſa remediorum *phyſica* efficacia, neque à *corporis* capacitate & receptivitate pendet, quare *naturam*, tanquam ens ſingulare, neque cum *corpore* hujusque qualitate *confundendum*, ut *principalem* cauſam producimus, quæ remediorum *phyſicam* efficaciam ita disponit & *applicat*, quo *ſalutares* abhinc effectus proveniant: hæc enim & *ratione* & *ſenſu* prædita natura oblata *remedia percipit*, quoniam cum peculiari *ſenſu* œconomiæ *vitali* invigilat, quam animadverſionem latius explicavit *D. D. Præſes Diſp. de Senſu vitali*; deinde *ſecundum* horum remediorum *efficaciam motus vitales* inſtruit, quo *convenientes* effectus producant: quis enim ita credulus fuerit, ut ſibi perſuadeat, quod *adſtringentium* remediorum *intrinſecus* aſſumptorum effectus *phyſicus* ſeſe *extendat* in *extremitates* corporis: aut quod *diaphoretica* ob nudam *commotionem*, quam *ſanguini* conciliant, intenſius *orgaſticam*, ſudorem expellant; quamvis *ſimplex* illa *commotio* ſudorem

dorem non abſolvat, dum ſudores interdum *ſine tali commotione* procedunt & *commotiones* tales aliquando *ſine* ſubſequente *ſudore* contingunt: quapropter brevibus adhuc inculcamus, quod *ars medica* cum tota ſua penu & *ſuppellectile* admodum *infirma* fuerit, ſi *naturæ ſynergia* deficeret, & quod remedia *plurima*, licet *duplicato* robore polleant, longe *minimum* ad *conſervandum* corpus valeant, ni *natura* hæc remedia ad *ſalutares* effectus *applicet*: multo minus vero digniſſima hæc conſideratio negligenda aut ſeponenda eſt, quod plurimos illos effectus, qui *phyſicæ* remediorum efficaciæ adſcribantur, vel *ſola natura* ſua *ſponte* in corpore ſuo adminiſtrare queat, dum diverſas *evacuationum* & *alterationum* ſpecies adminiſtrat, licet eapropter illa natura *non abſolute* omni *arte carere* poſſit, ſed in *quibusdam* caſibus *ſine artis concurſu* nihil valeat, qui tamen caſus cum reliquis medicis effectibus confundendi haud ſunt, aliàs falſitas argumentationis à *particulari* ad *univerſale* facile liqueret: quemadmodum viciſſim *præmatura* & *præcipitata* eſſet concluſio: ſi natura *ſponte* interdum *evacuare* & *alterare* poteſt, eapropter *artis auxilio* opus *non* haberet & ipſa *ſibi ſola* ſufficeret, aut propterea *ars medica* eſſet *ſuperflua* & nullus homo vitam amittere deberet: ſed cum hæc oblocutio ſatis ſolide ab *Illuſtri Stahlio* in *Diſſ. de Neceſſitate artis Medicæ*, *& de Poteſtate artis Medicæ* ventilata & infirmata fuerit, non neceſſe eſſe judicamus, quo rem actam tractemus: illud brevibus tantum inculcamus, quod licet tales operationes *natura* committere *poſſit*, tamen propterea easdem *non ſemper* adminiſtrare *ſoleat*, adeoque *manuductione*, *excitatione* & *invitatione* indigeat, ſicut in *moralibus ſimilis ordo* quotidie occurrere, adeoque præſentem *vitalium* motuum directionem *illuſtrare* ſolet.

§. VII.

Licet vero adeo neceſſarius ſit *naturæ concurſus* ad *remedia* oblata, tamen *hiſce* etiam relinquenda eſt *ſua efficacia*

cia, qua *corpus* afficiunt: hic ipſe vero *effectus medicamentorum* in corpus perſæpe *vanus* & inanis eſſet, ni *natura* eundem *perciperet* aut *ſentiret*: in *tantum* itaque *remedia* afficiunt *naturam*, in quantum [*hæc*] per *corpus ſentit* & *contactum medicamentorum* obſervat & *advertit*; quapropter omnino *remedia* materialia *commercium* habent cum *natura immateriali*: *medium connexionis* inter *naturam* & *remedium* eſt *ſenſus*, quo cum natura in *corpore* ſuo *excubias* agit & *objecta* quæ *corpori* accidunt, *percipit*: Deinde etiam *medicamentorum phyſica* efficacia paulo *curatius* eſt attendenda, vel enim quædam remedia *humorum inteſtinam commotionem* adjuvant, *cum qua* deinde intenſior *pulſus* & *progreſſus* humorum conjungitur; quædam *remedia* ſub *augmento* hujus *inteſtinæ* commotionis, inſuper humores intimius *attenuare* & *reſolvere* adjuvant: *alia* vero viciſſim humores *gelatinoſos*, lymphaticos & mucilaginoſos *inſpiſſant* & nimiam *ſubtilitatem* & fluiditatem ſanguinis emendant atque *coagulant*: quædam operantur in partes *ſolidas*, dum haſce nunc *moleſtè ſtimulant* & offendunt, adeoque *excretorium* effectum poſt ſe relinquunt, quædam partes *leniunt*, *emolliunt* & *demulcent*, aut *moleſtos* atque præternaturales *ardores temperant* & mitigant; quædam *partes* ita afficiunt, quo *lenis ſtrictura* aut interdum *validior conſtrictio* iisdem inducatur: alia vero partes *relaxant* & elubricant: quædam cum humoribus *acribus*, *ſalinis*, *ſulphureis*, *aceſcentibus*, *bilioſis* congrediuntur & commiſcentur, eorundemque *acredinem temperant*: nonnulla remedia *ſalinis* ſuis principiis humores *ſpiſſos* & materias *mucidas*, viſcidas *incidunt*, *colliquant*, *abſtergunt* & *attenuant*, aut alia remedia cum *tenui* ſua *mucilagine* alias materias *involvunt* & *mobiles* atque *volubiles* reddunt: quædam medicamenta partes adeo *irritant*, ut *ad illas* humores *copioſius* affluant & *ardores*, *rubores* & veſicarum collectiones poſt ſe trahant: quædam remedia non modo in partes *fluidas perverſam inteſtinam* commotionem inferunt ſed & *ſolidas*

das partes *ægre* afficiunt, ut propter illorum præſentiam & *ſenſus* & reliquus *naturalis vigor* in torporem, faſtidium averſionem & ſomnolentiam tranſeat: nonnulla remedia, quæ neceſſarias & *ſalutares excretiones* facilitant, aut quæ *ſenſationi* accepta ſunt, vigoris & *virium reſtaurationem* poſt ſe trahunt, uti talia ſubjecta, quæ *ſalutaribus effectibus* ad *vitam* & *ſanitatem* ſpectantibus *repugnant vires* opprimunt & *deſtruunt*: & ſicuti partes corporis *ſolidi diverſæ texturæ* & ſtructuræ ſunt, imo *diſcrepantis uſus*, *nobilitatis* & *utilitatis*, ut & *diverſus gradus ſenſationis* in iisdem adeſt, ita *varia remedia* peculiarem *relationem* ad illas habent, unde *acida pectori* paulo *plus* quam *alteri* parti ſunt *infenſa*, & *amara* paulo *magis ventriculo* & *inteſtinis* ſunt amica; ſic *mercurialia* & *opiata nervis* ſunt inimica &c. quibus *fundamentalibus* denique reſpectibus & conſiderationibus addimus hanc animadverſionem, quod etiam *materiæ inter ſe invicem* habeant *diverſam relationem*, ut una alteri facilius combinari poſſit: id quod etiam obſervatur in medicamentorum *operatione*, dum *unum remedium* facilius *in hunc*, *aliud* in *alterum* humorem operatur, aut unum remedium citius ventriculum, aliud inteſtina craſſa, quoddam meſenterium, nonnullum pulmones, aliud renes facilius alterat: inde innotuerunt, *bechica*, *diuretica*, *ſtomachica*, *ſplenetica* &c. licet æque haud cum illis conſentiamus, qui *abſolutam certitudinem* in *ſingulis* talibus remediis inquirunt: quid quod in *illa* denique circumſtantia *bono judicio* opus eſt, ne *indiſcretim* omnibus remediis tam *miras phyſicas* efficacias imputemus, cum potius vel leviter attenta obſervatio indicet, quam valide remedia *alterentur*, quando per *tot partes* & ipſum humorum *latifundium* vehuntur: quare *fuſtra* quisquam crediderit, quod *adſtringentia* remedia, quorum aliquando *pauca grana* exhibentur, quæ nimium quantum per corpus diſperguntur, *immediate* in partes *exteriores* ſive remotiores operentur & in Narium hæmorrhagias, menſium exceſſum, mictum

cruentum, hæmoptyſin, Hæmorrhoides excedentes, adſtrictoriam ſuam vim transferant; quare illud aſſeveramus, quod non æque *abſolute ſemper* neceſſe ſit, quo remedia oblata *ad illum locum* pertingant *in quo effectus* ille *medicamentoſus* obſervatur: ſubminiſtramus enim hoc *problema*: ſi *decem* grana croci martis aut Terræ de Catechu &c. *Menſium* exceſſum cohibent, *hæc* vero non modo *per tot partes* circumvehuntur, ſed & *per totam maſſam ſanguineam* diſperguntur, *quantum* quæſo de hiſce *decem* granis *ad uterum* pertingit? & num *illud*, quod *ad uterum* in tam *minima* quantitate pervenit, ad *talem effectum adſtrictorium* ſatisfaciat? & cur non *ſimilis* adſtrictio in *aliis partibus*, quas *hoc medicamentum* transfluit, contingit? cur non *in ventriculo* ubi *ſingula decem* grana hujus remedii collecta ſunt, non *decuplum* effectum *adſtrictorium* exſerunt? quibus ipſis conſiderationibus viam pandimus *judicandi* & *concludendi*, an remedia *nude phyſica* ratione operentur & an neceſſe ſit, quo ſemper medicamenta *immediate* ad *illam partem* penetrent, in qua *effectus medicamentoſus* ſuccedit.

§. VIII.

Sed ne diutius in generalioribus hiſce præluſionibus hæreamus, nunc præſentem tractationem per *ſpecialiores* obſervationes perluſtrabimus & illuſtrabimus: diſtinguimus remedia in *Evacuantia* & *Alterantia*: propterea placet *diverſas ſpecies utriusque* remediorum claſſis percurrere & & primo quidem *Evacuantium* mentionem injicere: & ita ordine primo diſquiſitioni noſtræ ſeſe offerunt VOMITORIA, quæ nunc per *craſſum*, nunc per *ſubtile ſal erodens* atque *ſepticum prompto* & accelerato effectu operantur & ita *ventriculum* eximiè *ſtimulant*, tanto magis vero in *illis regionibus*, ubi ob *nervoſam* conſtitutionem *ſenſibilior* eſt: quoniam itaque hæc *arroſio naturam* valde *moleſte* afficit, ita hæc nullum *rationabilius* conſilium capeſſere poteſt, niſi *prompte* atque cito *hoc ſubjectum* ex *illa parte*,

quam

quam affligit, *excutiat*, adeoque ſe ab eodem *liberet:* eſt itaque *vomitum ciens* remedium, ſubjectum quoddam *ſenſui naturæ* in ventriculo perquam *adverſum*, quod propterea in corpore *tolerari* non debet: hic enim *mos* eſt *naturæ*, ut, ſi aliquid *adverſum* in *ventriculo* geſtat, vel *idealiter præſumit*, illud *vomibundo* actu proſequatur; quale luculentum *exemplar* occurrit in *nauſea*, ubi interdum cum pertinaci *averſione ingeſtum* quoddam ſubjectum *ejicitur*: quoniam vero *poſitivum emeticum* remedium *conſtanter irritat* & *ventriculo vexas* dat, propterea nulla *commodiori* & *compendioſiori via natura* ſeſe ab hoc *moleſto* ſubjecto *liberare* poteſt, niſi per illum *breviorem* tractum tale remedium ſtrenuè & potenter *evacuet*, *per quem* illud *ingeſtum* fuerat, ita brevi *methodo* ab hac *moleſtia* & *irritatione* ſeſe *liberat*, ac pro hoc ſcopo ita appoſite & *convenienter* motum ventriculi exercet, quo *ſurſum* objectum illud elidatur, uti alias in *ordinario* ſtatu periſtalſin ad *catotericam* excretionem applicat: quis vero jam adeo *credulus* fuerit, quo *ſimplici* efficaciæ *phyſicæ* hujus remedii tam *congruum* effectum adſcribat? quid *remedium* ventriculum *ſtimulare* poſſet, ni *in hac parte ſenſus* exerceatur? quid *irritatio* hæc *tantum* valeat, quo periſtalſis *augeatur* & non *amittatur?* quid porro efficiat illa *vellicatio*, quo *excretio* ſuperveniat & illud augmentum periſtalſeos aut *ſpaſmus* ille non in pertinaci ventriculi *conſtrictione* perſiſtat? quid *medicamentum* per ſe contribuat ad *convenientem* hanc *anotericam* evacuationem? quis non agnoſcat, quod *comica* & *fabuloſa* illa ſit aſſertio, quaſi remedium emeticum vellicet *nervos* ſtomachi, per quos *Spiritus* affluant, qui ventriculum *invertant* & remedium ingeſtum unà *extrudant*? quis non confiteatur, quod *nudus ſpaſmus* hunc *ſingularem* actum *excretorium* non abſolvat, ſiquidem *ſpaſmorum eadem* eſt *relatio* & *efficacia* ad *obſtructiones* & *retentiones* cauſandas ac ad *evacuationes* perficiendas? unde *ſpaſmi* illi

adhuc

adhuc *peculiari* indigebunt *directorio*, quo ad *excretionem* adminiſtrandam ſatisfaciant! quis vero etiam non confiteatur, quod *noſtra* demonſtratio non modo *evidens*, ſed & cum *quotidianis* exemplis actionum *humanarum* illuſtrata ſit: ita enim evenit, ut, ſi quisquam *adverſum* ſubjectum intra *ventriculum* ingeſſerit, quod, licet *non æque* genus nervoſum *vellicet* & ſtimulet, tamen *æſtimationi individuali* adverſum eſt, *rationabiliter* tunc agat natura, ſi *tempeſtivè* tale ſubjectum iterum è ventriculo *eliminaverit*! inde etiam fit, ut ſi medicamenta *alterius* plane operationis & effectus medici cum *nauſea* & *averſione* ingeſta fuerint, eadem mox iterum *revomantur*: quem latet ille *ſingularis caſus*, quomodo ſubjectum quoddam, quod *olim gratum* & acceptum fuerat, ſi cum *adverſo remedio* tanquam *vehiculum* offertur, impoſterum animus cum *contumaci* tali *averſione* proſequatur, ut, ſi illud alia occaſione *ſub diæta* denuo offertur, ipſum *impoſterum* natura tam *immoderata averſione* proſequatur & cum *vomitu* rejiciat, de quo caſu dicunt: **es ſey einem etwas zuwieder oder eckelhafft gemacht worden.**

§. IX.

Eo ipſo vero demonſtramus, quod vomitus non *à medicamentis*, ſed *à natura* perficiatur & quod *remedia* naturam *excitent*, quo *hæc evacuatio* celebretur, ſiquidem quædam ſubjecta vel *poſitivè* noxia & inimica ſunt, alia vero *moleſta* & *quantitate* ſua *aliena*, alia denique *adverſa* & *tædioſa*, quæ natura *è ventriculo* expellere ſolet: irritum itaque conamen eſſet vel unquam *emeticam* talem evacuationem provocare velle, ubi *neque noxia*, neque *moleſta* neque *adverſa* materia *in ventriculo* hæret; neque etiam conſultum eſſet ad *vomitum naturam* irritare velle, vel *nimis ſtimulantem* & *inimicam* cauſam offerendo, vel *ventriculum aggravando*, vel etiam ad *nimium faſtidium* naturam commovendo & adigendo; quod vero hanc *ultimam* circumſtan-

tiam

tiam attinet, nimirum quomodo per modum alicujus *faſtidii mediocris* vomitus excitari poſſit, tunc conſtat quomodo *largior ingeſtio oleoſorum, pinguium* ſubjectorum, imprimis in ſubjectis *ſenſibilibus* & *evemetis*, ſatis *promptum* atque *efficacem Vomitum* conciliet: & hujus effectus *medici parallelum* effectum in reliqua *communi* vita obſervamus, quomodo varii homines ob *liberaliorem* ingeſtionem *pinguium* ſubſtantiarum *nauſeam* aliquam concipiant, indeque ad *vomitum* actualem concitentur, quale quid tanto citius cum *pinguedinibus* facile *coagulantibus* & *ſebaceam conſiſtentiam* aſſumentibus contingere ſolet: & cui non homini vel leviter *delicato adverſum* fuerit, ſi oleoſa *rancida* quædam ſenſatio fauces moleſtat, de quo adverſo guſtu vulgo dicunt: es ſteige einen ſo fetticht und dampffſicht aus den Magen, wie alt Fett: inde varii ad vomitum concitantur: & *hac eadem* ratione nititur, quo modo *oleoſa* ingeſta in diſcretis, *ſubjectis*, *temperamentis*, *ætatibus*, *ſexu*, *vomitum* provocare valeant, ni propter *adverſum* ſaporem denuo rejiciatur, quod ingeſtum fuerat: neque etiam deſunt quædam ſubjecta, quæ ob *valde nauſeoſum* & ſimul *ſapidum* effectum, *vomitum* excitant, cujus indolis *venerea* remedia exiſtunt, unde *croci venerei* vomitum ſatis *potentem copioſum* & *anxium* concitare ſolent, ſiquidem pleraque ex *cupro* parata remedia *valde adverſum* ſaporem inferunt, ea propter etiam naturam offendunt & incitant, quo in *removendis* talibus ſubjectis venereis denuo *omnem vim* adhibeat: & hoc eodem etiam fundamento nititur, cur *Tartarus vitriolatus*, *minus congrue* præparatus, *cardialgias*, *vertigines*, *vomitus* &c. provocet, quod minimè de hoc remedio *ritè parato* valet; unde commixta ramenta *cuprea* in hoc tartaro vitriolato, *inſufficienter* cum ſale *alcali ſaturato*, effectum illum *emeticum* cauſantur; non alia cauſandi ratione, niſi *intimiorem* talem *nauſeam* excitent, cujus conſectarium deinde *anxius* ille vomitus exiſtit: quo

magis vero ſubjecta quædam *corroſiva* ſunt, ut *arſenicalia*, *mercurialia* cum *larga* quantitate *ſalium acidorum* mixta, & ſimilia eo *certius*, *citius* & *fortius* vomitus provocari obſervantur: & hæc eadem demonſtratio proximo nexu quadrat ad vomitus *ſpontaneos*, qui ob *eundem finem* exercentur, cum in nullius materiæ *ſola poteſtate* ſit, quo *vomitum ex* & *per ſe* abſolvat, ſed ſemper *naturæ* deſtinatio omne punctum abſolvat, dum per vomitum alicujus vel *noxii* vel *moleſti* vel *adverſi* objecti *remotio* urgetur & licet *non ſemper* objectum *materiale* exiſtat, tamen *immaterialia* & *idealia* etiam objecta indies *nauſeam* & *vomitum* concitare ſolent: quidquod aliquando vomitus adhuc *continuant*, quando *materialis* cauſa *irritans remota* fuit: ut per tot documenta facile liqueat, quomodo vomitus neque *à medicamentis*, neque *à corpore* primario pendeat, ſed *naturæ* poteſtati unicè adſcribendus ſit: quod vero aliquando vomitoria *differentes* exſerant effectus, ratione *citioris* & *fortioris* ſucceſſus, illud *differenti ſenſibilitati* ſubjectorum adſcribendum eſt: neque illa *oblocutio* alicujus momenti exiſtit, quaſi *ſtimulatio* ab *emeticis* remediis *ventriculo* inducta non tam *craſſa* & manifeſta ſit, ac quidem aliæ irritationes occurrere ſolent, cum in *intimioribus* viſceribus partim *ſenſatio alios gradus* habeat, partim ob *nobilitatem* partium etiam *levior* offenſio *majores* effectus poſt ſe trahat, ac *irritatio externo* corpori & *ignobilioribus* partibus illata, cauſari ſolet.

§. X.

Proximum eſt, ut PURGANTIUM *modum operandi* nunc deſcribamus & quam *diverſus* horum *effectus* ſit ſignificemus; priusquam vero *ordinarium modum* indicemus, quo purgantia *operari* ſolent, neceſſe eſt, quo *fundamenti* loco *triplicem* notatu dignam circumſtantiam inculcemus; *primo* quod *tacite* & *ſponte* natura *potentes* impetuoſas & efficaces, dejectiones *alvinas*, perficere valeat, ſole-

ſoleatque & quidem interdum *ſtatis* & *exquiſitis* anni *Periodis*, teſtimonio *Diarrhœarum annuarum*; quippe qui actus *ſoli naturæ* activitati & *directorio* ſubjacet: unde concludimus, quod *natura* & prompte & efficaciter corpus ſuum *per alvum purgare* & evacuare poſſit atque ſoleat: *ſecundo* hic ipſe actus *extraordinarius* eo *citioribus* alterationibus ſubjectus eſt, ut nunc *faciliuſ cohibeatur*, nunc vero *citius augeatur*, quo *majori ſenſibilitate* prædita ſunt individua; ut itaque hæc *peculiaris naturæ* qualitas, quæ quoad *formalem* ſuam rationem *à phyſicis* proprietatibus *aliena* eſt, in præſenti excretionis ſpecie multum valeat: accedit *tertio*, quomodo varia ſubjecta *adverſo* ſtomacho ingeſta, etiamſi aliquando *notabili ſtimulo libera* fuerint, tamen cum *ſtrenuo* periſtalſeos *augmento* et *colico* nonnunquam *apparatu* per *alvum* iterum *rejiciantur*: & cum hiſce quidem circumſtantiis, nunc indico, quomodo *alvi* depoſitio non modo in *ordinario*, ſed & in *extraordinario* ſtatu ſub *naturæ poteſtate* ſit, imo quomodo ſecundum *differentem activitatem naturæ*, aut materiæ evacuandæ *mobilitatem* & *æſtimationem* actum talem *excretorium* eadem natura *intendere* & *augere* poſſit: exinde porro concludimus, quod *remedia* qualiacunque fuerint purgantia, *per ſe* alvum *non purgent* neque corpus ita irritent, quo *per bujus efficaciam* evacuatio fiat, ſed quod iterum *primario natura* illud principium ſit, quod Purgationem exequitur: etenim remedia purgantia illius *materialis aptitudinis* ſunt, ut cum *ſalino* ſuo principio facilius & efficacius *teneriorem* inteſtinorum texturam, afficiant, neque tam *acriter* ventriculum irritent, quare *tamdiu* in corpore tolerantur, donec *ſenſibilius inteſtina* ſtimulent, e quibus denique *catoterica* commotione & promotione evacuantur: dantur vero etiam *purgantia* remedia, quæ *acrius* operantur & unà *vertriculum* valde *irritant*, ut ſunt *Jalappa*, *Scammonium*, *Colocynthis* &c. quapropter *talia* remedia *natura* interdum

ſurſum & *deorſum* expellit, quo eo *citius* à tali *adverſo* ſubjecto ſeſe *liberet:* aliquando vero quædam ſubjecta ita *ſenſibilia* ſunt, ut purgantium remediorum efficaciam *citius percipiant* & *ægrius* ferant, unde illa *citiori* actu & *ſurſum* & *deorſum* dejiciuntur, ne ulterius *ſubtilem* illam *ſenſationem* offendant: haud enim *principalis* ratio in *genere nervoſo* inquirenda eſt, de quo minime abſolutè aſſeverari poteſt, quod in uno ſubjecto *materialiter tenerius*, propterea que *ſenſibilius* ſit, cum in diverſis ſubjectis ſingulares partes tamẽ diſcrepent & *robuſtior* nervus *æque ſenſibilis* eſſe poſſit, ac *tenerior*, ita ut *materialis* partium *ſubtilitas* & *teneritudo formam* majoris *ſenſibilitatis minimè* abſolvat: hinc ſæpe in *communi* hominum cohorte ſubjecta quoad corporis qualitates *robuſta* & *procera* occurſant, quæ tamen *valde delicata* & *debilia* ſunt, & viciſſim obſervantur *corpore tenera*, quæ *multum perferre* poſſunt.

§. XI.

Quod itaque purgantia *unius ejusdemque ſpeciei* in *diverſis* ſubjectis modo *leniores*, modo *fortiores* effectus edant, *principalius differenti ſenſibilitati perſonali* adſcribendum eſt; deinde non parum ad *citiorem* & *efficaciorem* purgantium operationem contribuit, ſi *materia* excernenda *mobilis* & tractabilis eſt, nec non ſi nunc aliquo modo ſua *ſponte natura* ad *evacuationem* illam *inclinat*: hinc purgantia *decreſcente* luna exhibita longe *facilius* & *copioſius* operantur, quam creſcente luna oblata, id quod tanto magis in *ſenſibilibus* ſubjectis evenit, quæ ab *externarum* cauſarum acceſſu *facilius alterantur:* in quo paſſu vero iterum non *primario* harum *externarum* cauſarum *efficacia* accuſanda eſt, cum potius *natura* per *diſcretam* ſuam *ſenſibilitatem* ſecundum harum cauſarum oblationem *motus* ſuos *variare* ſoleat: interim etiam remedia habent aliquam *diſcrepantem phyſicam* efficaciam in *materias diverſas*, quas in corpore ſuo offendunt: quapropter jam *antiquitus* recepta &

in aſſidua *obſervatione* confirmata illa *differentia* innotuit inter *phlegmagoga*, *melanagoga*, *cholagoga* & *hydragoga* remedia; quas itaque *materias* purgantia remedia, præter *irritationem* nunc majorem nunc minorem, quam inteſtinis inferunt, afficiunt, illas *natura* cum reliquo *purgantium* remediorum *nexu* ex *inteſtinis* evacuat, poſteaquam pro *facilitanda* hac evacuatione, prout circumſtantiæ requirunt, jam plus jam minus *humidæ* materiæ affuſum fuit: & ſi contingit, ut purgantia quædam *reſinoſa tenacius* plicis & tunicis inteſtinorum adhæreant, tunc pro *efficaciori* illorum *abſterſione* non modo *motus periſtalticus augetur*, ut *torminoſi* exinde oriantur cruciatus, ſed & *copioſior humiditas* affunditur, quo *moleculæ* illæ *reſinoſæ firmius* adhærentes citius *eluantur* & *abluantur*, qualis motuum ita *adæquata directio* & applicatio, minime vel *purganti remedio* vel *corporis diſpoſitioni* adſcribi poteſt: neque etiam illa circumſtantia in præſenti conſideratione oblivioni tradenda eſt, quomodo *quædam remedia* in *diverſis* caſibus effectum *catharcticum* ſine aliquo *actuali ſtimulo* cauſentur, ſed per nudam *materiæ*, in cujus *excretionem natura conſentit* & inclinat, *præparationem*; quare in affectibus *cholericis* oblata *terrea* remedia interdum impetuoſam *bilioſam* dejectionem poſt ſe trahunt: quale quid etiam contingit in *diarrhœis difficilius* ſuccedentibus, aut *colica contumaci*, in quibus affectibus *poſitiva* purgantia *inique* operantur; *præparantia* vero remedia ſine ullo *ſtimulo* evacuationem facilitant: ut ita iterum manifeſtum fiat, quid *natura* operetur & quid *remedia* efficiant: Et ita etiam quædam purgantia remedia operantur, non modo *ſtimulando* vias, ſed etiam *colliquando* & *reſolvendo* tales humores, quales alias *ex inteſtinis* evacuari ſolent: inde etiam evenit, ut *hujus conditionis* purgantia *efficacius* & *potentius* operentur, dum natura ad hunc actum excretorium non modo *irritatur* & provocatur, ſed & in illo actu ſuſcipiendo materiam ſatis *aptam*,

 mo-

mobilem & *præparatam* offendit: hinc dantur talia *experimenta*, ubi ex nuda humorum *præparatione purgationis* ſucceſſus conſequitur: quis quæſo ſibi perſuadebit, quod *purgantia* remedia *in venam* infuſa *inteſtina ſtimulare* debeant; cum rectius *facilius demonſtrari* queat, quod *humores*, quos *immediate* contingunt, *alterent* & ad talem excretionem *præparent*, qua iidem aliàs è corpore *evacuari* ſolent: imo quis non facile concipiat, ſi per *infuſionem* talem chirurgicam oblata purgantia *ſtimulante* effectu *tantam* operationem exſerere debent, quantus non *extremè immoderatus* effectus ab *immediata ingeſtione* talium remediorum *intra ventriculum* pendere debeat: ut ita in hoc caſu rectius ad *præparationem* humorum, quam *ſtimulationem* viarum concludere queamus: attamen negare non poſſumus, quod in *alio* ſingulari *caſu purgantia* in humoribus quadantenus *alterata* etiam *ſtimulante* effectu operentur, teſtimonio *purgationum* in *infantibus* concitatarum per *lac nutricis*, cui purgans remedium oblatum fuit, ubi ob *differentiam ætatis* & *majoris ſenſibilitatis* præſentiam, etiam alterata purgantia, intra lac nutricis ex parte recepta, talem *ſubtilem*, *moderatam* tamen & efficacem *irritationem* viarum & ſimul conjunctam *abſterſionem* humorum cauſantur, ut purgatio conſequatur.

§. XII.

Proinde hanc evacuationem alvinam *artificioſa* methodo adjuvant talia adminicula, quæ *vias leniunt*, demulcent, *humectant* & *contenta* in *inteſtinis* diluunt, *emolliunt* atque elubricant, unde non quidem *involuntario* & nude *paſſive* fæces alvinæ *decidunt*, ſed ob viarum *flexilitatem* & *materiarum* excrementitiarum *mobilitatem* natura hunc actum excretorium *majori activitate* adminiſtrat, ſiquidem aliàs actus *excretorii*, non ſub directorio *corporis*, ſed *naturæ* ſtant: quando vero remedia quædam materias *ſpiſſiores* in inteſtinis & primis regionibus hærentes efficaciu *colliquant*,

quant, incidunt & *abſtergunt*, inſuperque *ſalſedine* ſua *inteſtina* leniter *vellicant*, tunc perinde *hunc ductum* natura *ſequitur* & *alvum* evacuat, unde medicamenta *deterſiva*, digeſtiva, *ſalina*, quin ipſæ *thermæ* & *acidulæ* alvum aperiunt atque *laxant*; id quod etiam *talia* remedia efficiunt, quæ in primis regionibus *fermentativam* aliquam commotionem excitant & *per hanc* aliorum humorum *reſolutionem* perficiunt, qualia ſunt communia *dulcia laxantia*, ſaccharata, prunata, paſſulata, mannata, tamarindinata: ſed dantur etiam remedia quædam, quæ *intimius colliquatoriam* ſuam virtutem transferunt, ut demum hæ *reſolutæ* materiæ *ſingulari directione* intra *inteſtina* deferri & denique ex iisdem *evacuari* debeant; qualis actus vero non *medicamento*, quod *non plus* perficit, quam quantum *valet*, ſed *naturæ* competit, ut adeo *providè* in talibus caſibus *diſcernendum* ſit id, quod *remedium* & quod *natura* operatur: è quibus ſingulis animadverſionibus itaque facile liquebit, quod neque medicamentum *per ſe*, neque corpus *ſibi relictum*, neque remedii *relatio phyſica* ad *corpus* & ſubſtratas *materias* verum *formalem* effectum *alvinæ* evacuationis abſolvat: ſed occurrit adhuc notatu omnino digna obſervatio & inquiſitio, videlicet an & quomodò *martialia* remedia alvum aperiant? vulgo quidem eximiæ laudes de *aperitiva* virtute *martialium* perorantur, ſed non immerito *quæſtio* movetur, quo *reſpectu* alvum moveant martialia? *per ſe* id *minime* efficiunt, neque *ſtimulant* inteſtina; interim dum horum *tonum augent*, dum porro materia *excernenda* adeſt, imo dum *natura* nunc ad *evacuationem* ſuſcipiendam *propendet*, ita *ultima* hæc incitatio, *ſtrictoriam* aliquam commotionem in inteſtinis poſt ſe trahens, eo usque commovet *naturam*, quo *eandem excretionem* actu perficiat: quod vero *illa* alvum liberantia remedia attinet, quæ *diverſum* inteſtinorum tractum afficiunt, tunc *ratio* conſiſtit, vel in *differente* horum *relatione* ad diverſos *humores*

qui

qui in inteſtinis hærent, dum in *duodeno bilioſi* magis, in *tenuibus fluidiores ſeroſi*, in *craſſis ſpiſſiores mucilaginoſi* humores reperiuntur; vel in *citiori* aut *tardiori* remediorum *reſolutione*, ſecundum quam nunc citius nunc iterum tardius *phyſicam* ſuam operationem exſerunt, adeoque nunc *hunc* nunc *alium* inteſtinorum tractum efficacius attingunt & afficiunt: quæcunque vero alia purgantia *cauſtico* ſale multum prædita ſunt, illa ob *vehementiorem* inteſtinorum ſtimulationem etiam *immoderatiores* commotiones *ſpaſmodicas* & impetuoſiores *dejectiones* cauſantur, quoniam pro *adverſi* hujus ſubjecti *repentina* & vegeta *remotione* natura *omnes vires* atque conatus intendit & impendit: unde tam *male fida* ſunt *colocynthiaca*, *ſcammoniata*, *eſulina* & hujus cenſus alia: teſtantur etiam diverſæ obſervationes, quam *acriter* talia ſubjecta inteſtina offendunt, ut *inflammatoriæ* interdum commotiones in inteſtinis ſuboriantur, qualia experimenta & exempla allegavit *Wepfferus in tractatu de Cicuta Aquatica.*

§. XIII.

Neque etiam oblivioni tradendum eſt, quomodo medicamenta quædam, alvinam excretionem liberantia, *uno tempore efficacius*, alio vero *mitius* operentur: ubi non quidem nobis ſermo eſt de eo, quando ſubjecta quædam poſt purgantium aſſumptionem in *regimine* aliquem ſonticum *errorem* commiſerunt, ut *hypercatharſis* inſequatur, ſed quando contingit, ut remedia talia multam *ſaburram* excernendam offendant, tunc ob hunc *ſtimulum* medicamentoſum oblatum, natura *frequentius* & *copioſius* alvum deponit, id quod etiam evenit, ſi evacuantia remedia *tali tempore* exhibentur, quo nunc per ſe natura magis *ſponte* ad *talem* evacuationem *inclinat*: ita exempla conſtant de Pillulis balſamicis Stahlianis, (quæ *alias leniſſime* alvum aperiunt,) quomodo in uno eodemque nunc unam vel alteram dejectionem, alibi vero octies, decies alvinam excre-

cre-

cretionem induxiſſe obſerventur: & obtigit aliquando *D. D. Præſidi* caſus in *Puerpera*, in qua mox poſt puerperium oblatæ tales pillulæ nullam *extraordinariam* evacuationem alvinam concitaverant: ſed cum poſt octiduum paulo *largiori* prandio aſſati anſeris puerpera illa uſa fuerit, mox vehementes *cardialgias*, capitis dolores, *lipothymias*, *lochiorum* reſiduorum *turbas*, cum dolorificis *ſpaſmis* in *hypochondriis* experta fuerat, quæ vero poſt *earundem pillularum* aſſumptionem, ferme *viginti* dejectionibus alvi, ſatis *potentibus* evacuata & defatigata fuit, attamen *ſine ullo damno:* nec non hæc obſervatio circa præſentem tractationem inculcanda eſt, quomodo interdum ex ſingulari *naturæ directione catharctica* remedia per *emeſin* & *emetica* per *catharſin* rejiciantur; uti perinde *naturæ activitatem* in purgationis actu adminiſtrando & applicando teſtantur obſervationes *purgationum ex conſpectu purgantis*, ſecundum *Salmuthum Cent. 3. obſ. 14. Bartholinum Act. Haffn. vol. 5. obſ. 49. A. N. C. Cent. 1. obſ. 129*; aut *purgationis ex odore pharmaci purgantis*, qualem notavit *Salmuthus Cent. 3. obſ. 8.* ita recenſentur *purgationes ex imaginatione A. N. C. Dec. I. An. IV. V. obſ. 160. An. VI. VII. obſ. 238.* ſimilis conditionis eſt *ingens illa catharſis ex inſomnio A. N. C. Dec. I. An. III. obſ. 234. Dec. II. An. IV. obſ. 36. in App. conf. Bartholinus Cent. 5. hiſt. 64.* Quod denique attinet *illum modum*, quo *purgantia*, ab *extra* adhibita, operantur, tunc talia ſubjecta communiter valde *acria* & *colliquantia* ſunt, quorum *principia* per *poros* cutis *ſanguini immixta* tantam ſubitaneam *reſolutionem* materiarum *mucidarum* & *ſeroſarum* committunt, ut actus *excretorius* citius à *natura* ſubordinetur, uti recte etiam judicat Scholiaſtes obſervationis *43. A. N. C. Dec. II. An. I.* quando itaque talia remedia ad regionem *umbilicalem* applicantur, tunc materia talis *non latius* circumvehi, ſed *propius intra inteſtina* transferri debet, quam *translationem* vero in *inteſtina* neque *corporis* diſpoſitio, neque ipſius *materiæ mobi-*

 litas

litas abſolvit, ſed primario *natura*, horum motuum *excretoriorum principalis* cauſa, perficit: & pro illuſtratione hujus circumſtantiæ inſervit ille communis caſus, quando *diarrhœa ex refrigeratione* abdominis, poſt prægreſſam *exæſtuationem* corporis, concitatur, dum auctior illa *ſeri colliquati* & alterati tranſpiratio *ſubito reprimitur*, quæ *turbata* excretio impoſterum cum tali *ſubordinato alvi* fluxu compenſatur, quando *ſerum* illud ſubtile acre orgaſticum cum fluida *mucida* ſubſtantia *involutum* nunc in *proximiora ſe* & *excretoria* loca dimittitur & ne aliquam *noxam* inferat, prompte *expellitur*: & ex eodem fundamento ratio duci & inveniri poteſt, quomodo purgantia remedia, *odore* percepta, *catharcticum* effectum poſt ſe traxerint, qualia exempla allegantur apud *Salmuth. Cent.3. obſ.8. Hœchſtetterum Dec.4. caſ.8. in ſchol. Rob. Boyle de natur. determ. effluv. cap.5. Schneiderum de oſſe cribriformi*, *Binningerum Cent. 2. obſ. 86. A.N.C. Dec. I. An. IX. X. obſ.194. n.25. & Dec. II. An. I. obſ. 43. in ſcholio*: quanquam etiam in ejusmodi caſibus multum valeat *imaginatio*, ita ut ob *adverſum odorem* & *fœtorem* natura tum ad *vomitum*, tum ad *purgationem* aliquando commoveatur: ſed ſufficiant hæc de purgantibus dicta.

§. XIV.

Ad DIAPHORETICA remedia jam progredimur, horumque *modum operandi* exponemus; ſed mox in limine hujus conſiderationis indicare debemus, quod & hæc evacuationis ſpecies ſæpiſſime *ſponte à natura* adminiſtretur, adeoque longe *ſimpliciori* & efficaciori ſucceſſu ab illa exerceatur, ita quidem, ut hæc *ordinaria* & *principalis* ſit evacuatio, qua in *mitiori* gradu in *œconomia vitali* corpus ſuum *repurgare*, interdum vero paulo *intenſius* adverſarum & *noxiarum* materiarum remotionem perficere ſolet: proinde vero etiam mox indicare debemus, quod *nudus* ſanguinis *impulſus* minime hanc excretionem *abſolvat*, quare *remedia*

dia ſic dicta diaphoretica, quatenus *materiæ* ſunt, cum ſuis *qualitatibus phyſicis* diaphoreſin non *efficiunt*, interim *occaſionem* præbent & *naturam* quaſi *alliciunt*, quo *ſecundum* remediorum illorum *operationem phyſicam* hanc excretionem ſuſcipiat & ſubordinet: attamen eo ipſo *medicamenta* ſerum non *expellunt*; licet enim hæc *motum* in humoribus *inteſtinum augeant*, licet ſub hoc *motu* ſerum *attenuetur* & augeatur, licet ipſe etiam reliquus *impulſus* & progreſſus ſanguinis intendatur & licet ſingulæ hæ circumſtantiæ ad *ſudorem contribuant*, tamen illum non *abſolvunt*, ſiquidem ſub *ſingularum* harum circumſtantiarum *præſentia*, ſudor tamen *deficere* poteſt & ſolet; v. g. in *initiis febrium* adeſt & *inteſtina* & *progreſſiva auctior* ſanguinis commotio, ſed *deeſt* tamen *ſudor*: unde *primario* ad ſudorem requiritur *apertio* & relaxatio *ſuperficiei* corporis, qua obtenta non æque adeo *magnus impulſus* & *orgaſmus* ſanguinis neceſſarius eſt, quin *facile* & *libere* ſudor ſubſequatur: nunc vero iterum in *remediorum poteſtate* non eſt, quo *per ſe* & ab *intra* oblata *peripheriam* corporis *relaxent*, licet ab *extra* applicata diluentia, *emollientia* & humectantia *ſuperficiem* corporis *flaccidam* reddere queant: hinc iterum concludimus, quod *natura* cauſa *efficiens diaphoreſeos* exiſtat, quæ *ſecundum* remediorum *operationem* materias *ſeroſas*, tenues, ſulpureas è corporis ſui *peripheria* ita transmittit, quando hanc & *gradu* & *tempore* congruo aperit & *permeabilem* reddit, quæ *remiſſio toni* æque *ſub poteſtate naturæ* eſt, ac illius *intenſio* atque augmentum: hinc interdum etiam contingit, ut diaphoreſes, *rite* nunc procedentes, ſubito *turbari* poſſint, quando cum intercurrente *animi pathemate* generalis quædam *perverſio* motibus *vitalibus* accidit, ubi repentina illa *efficacia* & poteſtas *animæ* in hanc *evacuationem* inclareſcit: ſicut contra *remedia* ſanguinem *valde* impellentia ad *ſudorem* eliciendum, interdum *minime* ſatisfaciunt, ut eapropter *augmentum* illud motus *progreſſivi* ſanguinis pro *primaria* cauſa produci *non* poſſit; quod vero

intenſior ejuſmodi motus *aliquid* ad ſudorem *promovendum* conferat; neque nos *negamus*; id *tantum* inferimus, quod *remedia minimè* illius poteſtatis ſint, quo excretionem *proprie* ſic dictam & dicendam *efficienter* adminiſtrent: neque etiam motus *progreſſivi augmentum* remediorum *poteſtati* ſubjacet, cum *nulla* medicamenta *ullum* vere *vitalem* motum *augere* queant, licet *cauſam* ſuppeditent, propter quam motus tales deinde augeantur: quod vero ſecundum motus humorum *inteſtini* augmentum, etiam motus *progreſſivus* augeatur, *alterius* eſt *directionis* & æque à *natura* non vero *à remedio* dependet: quare remedium *poſitivè* diaphoreticum *nihil aliud* poteſt, quam *orgaſmum* humorum *augere*: motus vero *progreſſivi*, ut actus *vitalis* augmentum & ſubſequens *ſudor*, *naturæ* competit, quæ nunc humores *copioſius* in *ſuperficiem* corporis transfert, eosdemque, ſi ſufficienter *fluidi* fuerint, quando convenienter *peripheriam aperit*, *evacuat* & poſt *ſufficientem* evacuationem iterum illam *occludit*: hinc notatu digna eſt illa obſervatio *ſpontaneorum* ſudorum in febribus continuis contingentium, qui minimè *illo tempore* procedunt, quando *orgaſmus* & *impulſus* ſanguinis *acerbior*, ſed quando *mitior* & *remiſſior* eſt, & *illo tempore* iterum cesſantium, quando orgaſmus & *impulſus* ille ſanguinis denuo *increſceſcit*: neque quidem eſt, quo in *peripheria* notabilem *ſpaſticam* conſtrictionem accuſemus, cum vel *ordinaria* ſuperficiei corporis *conſtrictio* ad retinendum & *reprimendum* ſudorem ſatisfaciat & cum in ejusmodi *febricitantibus* ſatis eminenter ſanguis *peripheriam ingrediatur*, quod tam evidenter fieri haud poſſet, ſi *rigidior* quædam occluſio adeſſet.

§. XV.

Medicamenta itaque quæ *ſudorem* provocant, *diverſæ* ſunt efficaciæ, quædam enim ob principia *copioſe ſulphurea*, *acria*, *ſubtilia*, *reſinoſa*, *oleoſa*, *ſalina* & interdum plane *volatilia* in maſſa ſanguinea *inteſtinam orgaſticam* com-

mo-

motionem valide *excitant*, dum ob *ſubtilitatem* & *mobilitatem* ſuam cito humorum latifundium *penetrant*, & ſub hoc *intimiori* ingreſſu *ſubtiliorem* & efficaciorem *mixtionis* ſanguinis *reſolutionem* & divulſionem cauſantur; ne vero hæc diſſolutio *ſui juris* fiat & in præjudicium *integritatis vitæ* atque *ſanitatis* ſuccedat, mox ſupervenit *augmentum* motus *progreſſivi*, ſub quo non modo ſanguis *reſolutus*, ſed & *ſubtilia hæc* principia oblati *medicamenti intimius* in *peripheriam* corporis transferuntur & poſteaquam cutis *relaxata* fuit, denique penitus *evacuantur*: etenim hæ materiæ *ſubtiliores* & *agiliores* directe & *per ſe* corpori non ſunt *proficuæ*, quia *mixtionem* animalem deſtruunt, attamen ſi eædem ſemel *intra corpus* & ipſam humorum maſſam delatæ, tunc minime *craſſo* modo & *ſubitaneo* effectu, neque etiam ex *unico oſtio* expelli poſſunt, unde vix magis *rationabili*, quam hoc methodo apprimè *convenienti* è toto humorum *latifundio ſubtiliter* exterminantur, quam ſubtiliter eidem *immixtæ* ſunt: quo *citius* itaque, *diffuſius* & cum copioſo aliarum *humidarum* materiarum comitatu intra *peripheriam* corporis dejiciuntur, eo certius ſub forma *aquoſi ſudoris* eliminantur, quo *lenius* atque *modeſtius* viciſſim hoc contingit, eo *ſubtilior* & moderatior eſt ipſe hic actus excretorius, quam diſcretionem etiam *ſua ſponte* ſeruare ſolet *natura*, ut nunc per modum ordinariæ *inſenſibilis* tranſpirationis, alibi per modum *evaporationis*, ſive *halituoſæ* tranſpirationis, interdum per modum *aquoſæ* effluxionis, quam vulgo *hydroſin* vocant, *talis* excretio procedat: prout itaque *remedia* vel *magis* vel *minus acria*, *ſubtilia* & *agilia* ſunt, ita ad *diverſum* talem ſucceſſum hujus excretionis diſponunt, ni vel *ſpontanea* proclivitas ad *faciliorem* vel *difficiliorem* talem *evacuationem* in aliquo ſubjecto adſit: dantur vero etiam *remedia*, quæ ſubtile *vaporoſum adverſum ſulphureum* principium valde *mobile* continent, quæ *inimicam* & magis *contrariam orgaſticam* commotionem in humoribus provocant & ali-

as *ſenſui* & perceptioni admodum *adverſa* ſunt, qualia *narcotica* exiſtunt, quæ ipſi etiam ad *coactam* & ſub multa *averſione* & *confuſione* ſuccedentem, diaphoreſin concitant, quare de *effectu* & *eventu* hujus diaphoreſeos *natura non gaudet*; neque *levatur*, ſed valde *torpida* & *debilis* redditur; qualis *analogia* quotidie in *moralibus* operationibus occurrit, quando cum aliquo *tædio*, *faſtidio* & *averſione* adminiſtrantur, quæ *animum* magis affligunt, *turbant* & proſternunt, quam *erigunt* & ſublevant: ita etiam dantur ſubjecta *diaphoreſin* provocantia, quæ non modo maſſam humorum *diluunt*, ſed & majorem *caloris* gradum *interno* corpori conciliant, adeoque majorem *inteſtinam* commotionem excitant & ad *progreſſivi* motus *augmentum* contribuunt: hujus indolis ſunt *juſcula* & *decocta calida*, quin ipſa *ſimplicior aquæ calidæ* ingeſtio: inde contingit, ut eadem ingeſta *humida* ſubſtantia cum multa *ſeri fluidioris* copia iterum evacuetur & quidem ex *illis conſuetis* locis, per quæ *ordinariè* ſimiles materiæ *excerni* ſolent, nimirum vel per *renes*, vel per *ſuperficiem* corporis: haud vero *veritati* reſpondet illa aſſertio, quaſi *calor* ab *intra* ſuperficiei corporis ſuperveniens, eandem efficaciam *relaxantem* habeat, ac *calida humiditas* ab *extra* immediaté corpori applicata, habere ſolet: cum *contrarium* conſpiciamus in *febribus acutis*, ubi interdum neque *internus* neque *externus* calor *tantum* efficit, quo *ſudor* inſequatur: ut ita in *caloris* poteſtate *nuda* & *abſoluta* æque *minus* ſit *peripheriam* corporis *aperire*, ac in *ſolo* ſanguinis *impulſu*: ſiquidem quidam homines adeo *proni ad ſudandum* ſunt, ut vix *ſingularis* caloris gradus concurree debeat.

§. XVI.

Dantur etiam *alia* remedia quæ *citra* ullam *calefacientem* & *impellentem* vim ſudorem cauſantur & quæ vulgo *privativa* & *fixa* diaphoretica vocantur, quæ vero cum *regimine* quodam *diaphoretico* adjuvari debent: hujus indolis ſunt partim *terrea calcarea* ſive *animalia* ſive *mineralia*

partim

partim *acidulata* remedia, ſive è *vegetabili* ſive è *minerali* regno petita & hæc in *ſubjectis illis magis* proſunt, in quibus in genere *humores ſubtiliores* exiſtunt, ubi propter ſanguinis *nimiam tenuitatem* & *ſeri ſubtilem* immixtionem, hæc materia *ſeroſa* non tam facile *à reliqua* maſſa ſanguinea *ſecedere* poteſt & ubi propter *rapidum* & nimis *celerem* ſanguinis *fluxum*, *ſubtilis* ſeroſa portio conſtanter in illum *fluorem abripitur*, ut minus *ſufficienter peripheriam* corporis & *ſubtiles ductus*, in poroscutis abeuntes, *ingrediatur*; quapropter hæc *fixa diaphoretica* tum *toti maſſæ* ſanguineæ, tum *ſeorſim* etiam *ſero nimis ſubtili* aptiorem *conſiſtentiam* conciliant, quo non modo hoc *ſerum* facilius à *ſanguine ſecedere*, ſed & poſt hanc ſeceſſionem *intimius* in *ſuperficiem* cutis profluere poſſit: ſi itaque huic humorum *præparationi* moderatum *regimen* conjungitur, tunc ad hujus ſeroſæ portionis *evacuationem* eo magis *natura* inclinat: vix vero facile talibus *privativis* diaphoreticis remediis vel vis *impellens* vel *tonum* peripheriæ corporis *ordinarium imminuens* & *relaxans* imputari poteſt, neque etiam *reſolvens* efficacia iisdem adſcribenda eſt, cum *abſorbentia* & *acida* magis *in craſſantem*, quam *attenuantem* virtutem habeant: quod vero *externus calor* & *calida fomentatio* atque *humectatio* ad ſudorem contribuat, tunc ad *caloris* externi *ſenſum* peripheria corporis quadantenus *relaxatur*, interim ipſe ſiccus calor non *per ſe* relaxat, niſi potius *propter illum* calorem *natura tonum* in peripheria quadantenus *remittat*, ne *ſenſus* caloris *moleſtus* fiat, neve hanc *ſuperficiem* cum damno *exſiccet*, quapropter in hanc *copioſius* humores *affunduntur*, quo caloris *ſenſum demulceant*, ſiquidem *ſiccus* calor ſemper *moleſtior* eſt, inde etiam per *conſequens* evenit, ut dum ſuperficies *patet*, humores vero *intimius* ingrediuntur, denique *fluida* aqueo ſeroſa portio extra hanc ſuperficiem dimittatur: *humiditas* vero, tanto magis *calida phyſicam* habet poteſtatem partes *denſas* & tenſas colliquandi, *emolliendi* & relaxandi; hinc

rela-

relaxata cute humores *intimius* ingrediuntur & *fluidiores* horum ſubſtantiæ facilius *egrediuntur*, & hic ſudor *poſterioris* ſpeciei exquiſitius *artificialis* eſt, ad quem ita *poſitivè* & *directè* natura haud concurrit, niſi ad illum magis *adacta* & *coacta* fuerit: dantur denique etiam in certis *caſibus* remedia *diaphoreſin* promoventia, quorum *modus operandi* conſiſtit in efficaciori *colliquatione* humorum *ſeroſorum* cum *mucida* ſubſtantia *inſpiſſatorum*; uti in *ſcorbuticis*, *hydropicis*, cochlearia, rad. ari, Zingib. Tinctura antimonii tartariſata, diaphoreſin *eapropter* facilitant, quia *ſpiſſius* illud ſerum *attenuant* & ad hanc excretionem *præparant*: ut dehinc natura eo lubentius ab hoc *moleſto* ſero ſeſe liberet, idque *activo* concurſu è corpore denique educat: quod vero *aceta* illa famoſa *Bezoardica* attinet, tunc *mixtus* illorum eſt *modus operandi*, ubi partim *acidum* aceti, partim commixtæ ſubſtantiæ *reſolventes* juxta *prædictam* noſtram declarationem operantur: Lapis *Bezoar* per copioſum & *ſubtile* ſuum *ſulphureum* & *tenue terreum* principium ad ſudorem diſponit, per *illum modum*, quem de *poſitivis* diaphoreticis declaravimus.

§. XVII.

DIURETICA in ordine ſequuntur remedia, quorum *modus operandi* perinde *diverſus* eſt, ita ut æque minus hæc excretio tam rigoroſè *nudè phyſicis* cauſis & qualitatibus adſcribi queat: illud vero *fundamenti* loco indicamus, quod omnis *evacuatio ſpontanea* ad *vitam* & *ſanitatem* pertinens & contribuens ſub *naturæ poteſtate* ſtet, quæ propterea illam excretionem ita *augere* & *imminuere* poteſt, prout *ordini* & *œconomiæ vitali* competit: quare etiam *ſpontaneæ* diureſes ſive *ordinariæ* ſive *extraordinariæ* paſſim in Hiſtoria vitæ humanæ occurrunt: quod enim *ordinarias* auctiores & *copioſiores* diureſes attinet, tunc frequentia paſſim occurſant ſubjecta, quæ præ aliis *largiores* mictiones experiuntur & quidem vel ob *humiditatis* aqueo-ſeroſæ *majorem* copiam, vel ob *organorum* majorem *flexibilitatem* &

mobi-

mobilitatem, vel ob *propiorem* ipſius *naturæ* in hanc ſpeciem evacuationis proclivitatem: ſicut itaq; *mores* & *inclinationes* hominum per *individua* diſcrepant, ita etiam tales actiones in *vitalibus* differre ſolent: quid quod notatu digna illa eſt circumſtantia, quomodo ſub *impeditiori diaphoreſi*, diureſis *copioſius* procedat & *viceverſa*: quas *ſpeciales* diureſeos qualitates *nudis materiarum* proprietatibus adſignare velle, difficile erit, dum neque *organorum aptitudo* pro formali & completa ratione hujus excretionis ſufficiens erit, neque *nuda abundantia ſeri* aquoſi ſemet ipſam ad ultimam *evacuationem urgebit*, neque ullus alius *ſtimulus ſui juris* erit, quo hunc actum perficiat: unde per multiplices evidentes & ſolidas *demonſtrationes* aſſerimus, quod tum in *naturali* tum in *artificiali* diureſeos adminiſtratione *natura* primaria cauſa exiſtat; hæc *motum* in organis ita *dirigit* & diſponit, quo *effectus* reſpondeat & *intentioni* & *fini*, ne hæc excretio *confuſè* celebretur, cùm propter cauſarum *materialium* rationem *æque facile inordinate*, *defectivè* aut exceſſive exerceri queat; neque illa requiſita, quæ ad *organi* aptitudinem ſpectant, *confundi* debent cum tota reliqua operatione; cum renes ultra *inſtrumentalem* ſuam rationem nihil ad *formalem* diureſeos actum & ſucceſſum contribuant? ſicut vero in *moralibus* anima ad *unum eundemque* actum per *diverſas* cauſas provocari poteſt, ita in *vitalibus* æque per diverſas rationes natura ad diureſin excitari poteſt atque ſolet, & quidem, quod *ipſa* ſemper hujus actus *principalis* ſit cauſa, licet *ſubordinatæ* cauſæ hunc actum invitantes, inter ſe *diſcrepent*: quis enim adeo credulus fuerit & tot *ſpecifica fermenta* pro cauſa *diverſarum ſecretionum* ſupponat, cum hæc aſſertio magis infirmis *ſuppoſitionibus* nitatur, neque illa traditio pro *ſolita* demonſtratione declarari poſſit, quaſi propterea in *renibus ſpeciale fermentum* eſſe debeat, quia in iisdem *ſpecialis humor* ſecernitur; cum ne quidem illa *fundamentalis* theſis confirmari poſſit, quaſi *ſecretiones* humorum per *fermentatio-*

nem procedere debeant: & quis non facile agnoſcat, quomodo *accurata* illa applicatio motuum, ſecretionis & excretionis effectui reſpondentium, non in ipſa *materiali* renum diſpoſitione & *neceſſitate* hæreat, quoniam illi motus nunc *citius*, alibi *tardius*, nunc *fortius*, interdum *debilius*, nunc *congrue*, alibi vero *inordinatè* in *organo* exerceri posſint, unde neceſſario ab *alio directorio* altiori & *digniori* pendere debet.

§. XVIII.

Nunc vero ſpecialius illas *cauſas* perluſtrabimus, quæ *differenti* quodam modo ad *diureſin artificiosè* provocandam contribuunt: dantur itaque *poſitive diuretica* & vias urinarias *ſtimulantia* ſubjecta, de quibus ex ipſa empiria & obſervatione conſtat, quod *ſpecialem* efficaciam in *vias illas urinarias* habeant, ubi *triplex* notatu digna animadverſio occurrit, *primo* quod hæc remedia, *illas* partes quas *proximè* & *immediatè* attingunt, ordinariè & *utplurimum* nullo tali *parallelo ſtimulo* afficiant, easdemque ad *excretionem* aliquam urgeant, uti *diuretica alvum* non ſtimulant, neque purgationem cauſantur: *deinde* quod hæc remedia in humorum *maſſam* recepta, tamen non *eo usque alterentur*, ut deinde ad effectum ſuum *ſtimulantem inepta* ſint; *tertio* quod denique eadem remedia *ex humoribus* ſtimulantem ſuam vim *renibus tantum* & non *aliis* partibus communicent, quas obſervationes & quæ phænomena hoc loco explicare non noſtri præſentis fori atque officii eſſe judicamus, cum in eo *conſenſum* medicorum habeamus, quod *poſitiva* diuretica *renes ſtimulent* & hoc effectu ad *auctiorem* diureſin concurrant: talia *poſitiva* diuretica remedia continent *ſal acre*, *acidum* ſubtile, interdum etiam *alcalinum concentratum*, aliquando plane *cauſticum*, quod humores *ſeroſos* potenter *colliquat* & reſolvit, deinde vero etiam *vias* urinarias afficit & *irritat*: quod vero talia diuretica remedia *renes* utplurimum offendant, haud *improbabilem* ſubminiſtrant aſſertionem, quod *ſenſatio* in *diverſis* corporis par-

partibus *gradu diſcrepet*, quæ etiam conſideratio ex *externi* corporis contemplatione *demonſtrativa* fieri poteſt, dum *alius gradus ſenſationis* eſt in *cute*, alius in *muſculis*, alius in *tendinibus*, alius in *oculis*, alius ad *radicem unguium* &c. & ſecundum hanc *diverſam ſenſibilitatem* partium quædam ſubjecta *ſalina diverſas* partes affligunt & *magis* irritant: *modus* vero *operandi* in hiſce *poſitivis* diureticis remediis *triplex* eſt, dum in ipſo illo *organo naturam irritant*, in quo hanc ſpeciem excretionis *ordinariè* adminiſtrare ſolet, ut propterea eadem natura hanc excretionem nunc augeat & hunc ſtimulum ſequatur; deinde eo magis hanc excretionē proſequitur, quo citius & efficacius hanc *ſtimulantem* materiam remedii *diuretici* intra tenue & *fluidum ſerum* receptam è corpore iterum *expellat*; denique quo *copioſum* illud ſerum, per remedium diureticum magis *colliquatum* & reſolutum, nunc liberius & *facilius* ejiciat, quo magis huic actui excretorio illud ſerum nunc obtemperat: ita dantur etiam certa ſubjecta & remedia, quæ in partibus *nervoſo-membranaceis*, *tunicaceis* & *tendinoſis* tonum augent & *ſubtiliorem*, attamen ſatis *efficacem ſtricturam* excitant, velut *ſalia volatilia* efficiunt, quæ ſub humorum colluvie intra vias *urinarias* delata, illarum texturam *membranaceo nervoſo-tunicaceo-tendinoſam* ita afficiunt, ut *intenſior ſtrictura* adeoque conatus ad *excretionem* ſubſequatur, quo vero excretio *frequentius* ſuccedere poſſit, eapropter connexa *ſecretio augetur* & ita hac ratione & hoc modo diureſis, *artificioſa* methodo concitatur: ſed valet etiam in hoc actu aliquid *ſenſibilitas* ſubjectorum per *individua* diſcrepans; quemadmodum quidam homines *præ aliis* in viis *urinariis* valde *ſenſibiles* exiſtunt, ut ex *immutato potu*, licet cœteroquin bono, aut ex potulento fæculento varia *ordinariæ* diureſeos *incommoda*, maximè vero ſtranguriam experiantur, ubi ſub hoc augmento motus *ordinarii* ſtrictorii in viis urinariis, hujus *adverſi* aut *inconſueti* & *moleſti* potulenti *excretio* urgetur.

§. XIX.

Præter hæc *poſitiva* & *ſtimulantia* quidem diuretica, dantur adhuc *alia* & quidem *diluentia* & *emollientia*, quæ in genere ad omnes *ordinarias* evacuationes diſponunt & quidem *duplici* ſatisque *ſimplici* & *evidenti* modo, partim *diluendo* materias excrementitias & ad *faciliorem ſe- & excretionem* præparando, partim *organa* ſe & excretoria humectando & *mobiliora* atque *permeabiliora* reddendo; ut ſub utriusque tam *humorum*, quam *partium* aptitudine ipſum actum hujus excretionis eo *promptius natura* aggrediatur & exequatur: ſicut vero utraque *qualitas* tantum *materias*, nimirum *organon* colatorium & *humorem* excrementitium concernit, ita eadem minime *ipſum actum* ſe & excretorium abſolvit, quare & organon & humor *congruo* motu tractari & ad excretionem aptari debent: *motu* interim *congruo* talis excretio abſolvi debet, neque in *formali* ſua ratione aliqua *paſſione* nititur, quoniam materiæ excrementitiæ haud ita *confuſe* per renes *dilabuntur:* hinc *paſſivi* tales lapſus *vitalitati* contrarii ſunt, quoniam in illis omnes rationes *gradus*, *menſuræ*, *ordinis*, *temporis* &c. deficiunt: ſicut vero hanc ſpeciem excretionis *natura* ordinariè *ſua ſponte* committit, ita eandem vel ſua ſponte *augere* poteſt, prout *circumſtantiæ* in corpore conſtitutæ ſunt; vel paulo *moleſtius* & ſenſibilius ad hunc actum *excitari* ſolet, teſtimonio *diabetes*, aut *arte* provocatæ diureſeos; vel denique in illo etiam caſu ad hanc excretionem excitari poteſt, quando in hoc actu exercendo eadem *natura ſegnior* & obliviofior exiſtit: *alius* proinde *modus* promovendi diureſin eſt, quando per remedia remiſſius *reſolventia* & attenuantia ſerum *ſpiſſum* minusque tractabile in *fluidiorem* conſiſtentiam convertitur & *à reliquis* humoribus connexis *abſtergitur*, adeoque ad futuram *promptiorem* ſe & excretionem *præparatur*; ſi itaque nunc ſerum hoc *excrementitium* majori *mobilitate* gaudet,

tunc

tunc *ſua ſponte* illius excretionem etiam per diureſin *promptius natura* ſuſcipit, dum motus illos in renibus *facilius* ad efficacem urinæ ſecretionem & ſubſequentem *excretionem* applicat: & licet dehinc actus hic ſe & excretorius *certius* ſuccedat, quando materia *mobilis* eſt, tamen iterum *ipſe actus* ſe & excretionis non eſt *organi*, ſed *naturæ*; deinde hæc *natura ſalvo* etiam organo & *mobili* humore nihilominus actum ſe & excretionis *retinere*, *alterare* & *turbare* poteſt & ſolet: & hic ipſe *modus* promovendi diureſin per *reſolventia* & *abſtergentia*, eſt non modo *ſecurus*, ſed & efficax & *temperatus*, qui in morbis *acutis* æque ac *chronicis* proficuus eſt, dum ad *repurgationem* & attenuationem totius *humorum maſſæ*, nec non ad *organorum* apertionem & *permeabilitatem* contribuit: ſupereſt adhuc *alius* conſuetus *modus* promovendi diureſin, per oblationem *talium* remediorum, quæ ſerum *urinoſum* in ſanguine *augent*, adeoque *naturæ anſam* præbent, quo ob *copiam* hujus ſalini humoris, illam excretionis *ſpeciem*, qua alias *talem* humorem eliminare ſolet, nunc *majori alacritate* & vigore ſuſcipiat & non modo *hæc oblata* ſubjecta & remedia, ſed & ſub reliquo *comitatu* notabilem *copiam inquilini* ſeri evacuet: quando etiam obtingit, ut *ſpaſmodica* quædam ſtrictura diureſin *impediat*, vel contumax *congeſtio* illam *obruat*, tunc *antiſpaſmodica*, *temperantia*, *humectantia*, *lenientia*, *emollientia*, *ſedativa*, *diureticum* effectum non *alio modo* poſt ſe relinquunt, quam prædictas *commotiones* congeſtorio-ſpaſmodicas tranquillando & *removendo*, ita partes urinariæ denuo *reſerantur* & *perviæ* redduntur.

§. XX.

Cum de *ſeroſis* quibusdam evacuationibus aliorumque *particularium* humorum excretionibus hactenus ſermonem inſtituerimus, nunc progrediemur ad ARTIFICIALEM HÆMORRHAGIÆ PROMOTIONEM, quo videlicet *modo* illa ſuccedat: antequam vero hanc

conſiderationem *ſpecialiori* ſtudio pervolvamus, neceſſe erit indicare, quomodo è toto penu materiæ medicæ *nullum* remedium occurrat, quod *proxime*, *directe* & *adæquate* alicui *ſpeciei Hæmorrhagiæ* promovendæ quadraret & ſatisfaceret & quod propterea pollicitationes & *encomia* de *emmenagogis* remediis admodum *dubia* & *ambigua* exiſtant, cum *communia* talia medicamenta non *illius efficaciæ* ſint, quo ad *intimiorem* certum locum ſanguinem *ita* convehant & congerant, ut ex eodem *actualis* eruptio ſubſequatur: *in genere* vero iterum de Hæmorrhagiis *ſpontaneis* notandum, quod minime ex nuda ſanguinis *plenitudine* pendeant, cum multa ſubjecta *eminenter plethorica* dentur, quæ *nulla* Hæmorrhagia laborant; quare *nimis violenta* requireretur *expanſio* corporis, ſi ſanguis per *nudam* ſuam *ubertatem* actualem talem *eruptionem* perficere debeat: neque *acrimonia* ſanguinis talium Hæmorrhagiarum cauſa eſſe poteſt, aliàs omnes circumſtantiæ ad *Hiſtoriam genericam* Hæmorrhagiarum longe *alterius* indolis eſſe deberent: neque *nudi ſpaſmi* Hæmorrhagiis cauſandis ſatisfaciunt, qui *indifferentem* relationem habent ad *obſtructiones* oppletiones *infarctus*, ſtagnationes, ſtaſes & retentiones, ac ad *perruptiones* præſtandas & tales quidem, quæ cum evacuatione ſanguinis *extra* & non *intra* corpus contingente reſpondent: cum itaque ſanguinis *evacuatio* cohæreat cum *plethora*, & hac quidem *moleſta* & *nociva*, imo cum evacuatio illa ſub certis circumſtantiis *legitime* procedens ſemper *ſalutaris* ſit, proptereaque *tunc demum* noxa quædam ſuperveniat, quando talis hæmorrhagia *ſupprimitur*, uti hoc negotium paſſim *Illuſtris Stahlius*, ſeorſim vero in *Programmate de conſulta utilitate Hæmorrhagiarum* inculcavit; quid quod cum *talis* Hæmorrhagia neque ab ipſo *pondere* & *copia* ſanguinis, neque à *corpore*, neque à cauſis *externis* abſolvatur, imo cum ad ejusmodi evacuationem ſanguinis *juſto tempore*, *ordine*, *loco*, *pondere*, *gradu* &c.

ad-

adminiſtrandam, non *confuſæ*, ſed accuratæ & *proportionatæ* commotiones ſpectent, ita harum Hæmorrhagiarum iterum non aliam *principalem efficientem* cauſam eſſe, quam *naturam*, ex multiplicibus *ſolidis* & *indubiis* rationibus & *demonſtrationibus* inducti & convicti aſſerimus: quando itaque *extra violentam* & *craſſam* Hæmorrhagiarum provocationem, neque ſanguis neque corpus talem evacuationem tali *ordine* & *ratione* perpetrare poſſunt, ita in *revocatione* & *promotione* illarum primario *naturæ concurſus* neceſſarius erit, qui *tali* etiam *modo* atque *ordine* excitandus eſt, prout *toti negotio* Hæmorrhagiarum *quadrat*: eſt vero *communis* ordo *invitandi* Hæmorrhagiam, quando ſanguis *ſuperfluus* in corpore valde *commovetur*, ut non modo in *libero* & legitimo ſuo *progreſſu* admodum *alteretur*, ſed & reliquis connexis *functionibus* depuratoriis, præparatoriis, ſe- & excretoriis ex hac alteratione varia *impedimenta* incutiantur, inde vix *ſimpliciori* & *ſinceriori* ratione huic *incommodo natura* conſulere poteſt, niſi ut ſanguinem illum *ſuperfluum* moderata quantitate *imminuat*, hinc reliquæ *futuræ commotiones* non *tantas* moleſtias parere poſſunt aut ſolent: quando itaque *artificioſe* Hæmorrhagiæ provocari debent, *eadem methodus* uſurpari poteſt, quo nimirum ſanguinea maſſa *aliquoties* in *intenſiorem orgaſmum* redigatur, ut eo ipſo *natura* ad eandem reſolutionem irritetur, qua *ſuperfluum*, *moleſtum* & *commotum* ſanguinem ex *illis locis*, è quibus *antehac* eundem eliminare *conſueverat*, denuo *expellat* & pro hac reſolutione atque *ſcopo*, *eadem methodo iisdemque motibus* utatur.

§. XXI.

Sed quis non facile perpendat, quomodo *ille modus* provocandi hæmorrhagias neque ſatis *ingenuus* neque ſatis *ſecurus* ſit, cum plethoræ *commotio* ad cauſas illas *morbificas* referri mereatur, ut ita non facienda ſint *mala*, quo eveniat *bonum*: nam qui *orgaſmum* in ſanguinem *abundantem*

tem

tem transfert, *malum* quid committit, quoniam plethora *quieta* & non impulſa atque *commota*, *naturæ* minus moleſta exiſtit: ſi vero in tota *maſſa* ſanguinea *orgaſtica* talis commotio provocatur, longe magis *ſuſpectus* eſt actus, quam ſi in *unica* quadam regione aut parte *moleſta* quædam *naturæ* irritatio ſuſcipitur, quoniam ſub illa ſanguinis commotione *totum* reliquum corpus & *ſingulæ* illius partes *compatiuntur:* proinde etiam *hic modus* provocandi Hæmorrhagiam magis *ſuſpectus* eſt, quoniam *gradus* commotionis plethoræ, *artificioſe* præſtandæ, non ita *exquiſite* ſub manibus & *ſpecialiſſima* directione atque *poteſtate* artificis eſt, ac *aliarum* partium commotiones, ad quas *propius* pertingere poteſt artifex; ut ita in hoc modo illud valeat, quod de *Platone* refertur, annulo ſuo inſculptum geſtaſſe; *facilius eſſe movere quietum, quam quietare motum:* hinc longe *facilius* ſanguinis *motus debilior augeri*, quam *auctus mitigari* poteſt: neque etiam *alia artificioſa methodo* Hæmorrhagia provocari poteſt, quando ad ipſa loca excretoria remedia *ſtimulantia* applicantur, quo *affluxus* ſanguinis eo *fortior* ad talem locum provocetur, ut denique *plenaria eructatio* ſanguinis conſequatur: qui modus *quantæ efficaciæ*, *certitudinis* & *ſecuritatis* ſit, diſpiciant illi, qui Menſes per *peſſaria ſtimulantia* & *Hæmorrhoides* per *ſuppoſitoria acria* provocare geſtiunt; hinc *effectus* teſtabitur, an non loco *promptæ eruptionis* ſanguinis, magis *ſuſpecti affluxus*, *rubores*, *tumores* & *inflammatorii* motus oriantur: & quemadmodum ſub *omni* plethoræ *commotione*, *undecunque* etiam illa provocata fuerit, demum *naturæ ſingularis* concurſus requiritur, quo *abundantem* ſanguinem ad *loca congrua* congerat & ſub *juſtis motuum* applicationibus eundem *evacuet*; ita de *remediis* talibus ſanguinem *turgefacientibus* iterum ex *vero* & *certo* promitti non poteſt, quod *ultimam* ſanguinis eructationem induxerint, uti æque minus *quamlibet aliam* ſanguinis commotionem *actualis* Hæmor-

morrhagia conſequitur, ſed *opportunus naturæ* concurſus demum expectatur, qui potius à *ſpontaneo* naturæ arbitrio, quam *medici coactione* pendet; hinc etiam *toties fruſtra* remedia talia exhibentur, donec ſperatus effectus conſequatur; quidquod facilius evenire poteſt, ut ſi ſanguis paulo *minus fluidus* fuerit, loco *ſimplicioris orgaſmi* aut *actualis excretionis*, ſuſpecti *infarctus*, *oppletiones* & *ſuppreſſarum* Hæmorrhagiarum *confirmationes* atque contumaciores *obſtructiones* oriantur: ex qua conſideratione inculcamus, quam *anceps* hic ſit *modus* promovendi Hæmorrhagias & quam *ſuſpectus* ſit modus, quo remedia talia *operantur*: etenim inter alias hiſtorias & obſervationes, quæ medicis animadverſionibus annumerantur, occurrit illa, quod inter indos herba reperiatur, quacum per *artem ſudor ſanguineus* próvocari poſſit: cujus rei mentionem facit *Baroncellus Lib. 2. de ſudore cap. 11. & Petrus de Oſma in Epiſtola ad Nicolaum Monardem conſ. Paul. Zacchias in Quæſtion. med. legal. Lib. 3. tit. 2. qu. 2.* in quantum vero huic relationi *fides danda* ſit, medici inter ſe nondum conſentiunt: & quoniam de aliis remediis, quæ *vulgo* Hæmorrhagiarum *promotioni* dicantur, conſtat, quod illorum effectus tantum *genericus* ſit, ita nihil valet illa opinio, qua remediis illis *ſpecialis relatio* & efficacia in *illas* partes, è quibus ſanguis profluere alias ſolet, affingitur; nam de diureticis antea dictum fuit, quod communiter *tantum vias urinarias* ſtimulent, qui *effectus* teſtatur *ſpecialem* illam *relationem* horum remediorum in *has* vias.

§. XXII.

Quæ hactenus dicta ſunt de modo provocandi Hæmorrhagias amiſſas, illa nunc ad ipſa illa *communia* remedia, de quibus aſſeritur, quod *Menſes* & *Hæmorrhoides* revocare debeant, *applicanda* erunt: ex hiſce vero quædam illius indolis ſunt, ut propter principia ſua *ſubtilia*, *volatilia* & copioſa *ſulphurea* præcipue, *acria*, *reſinoſa*, *oleo-*

ſa & conjuncta *ſalina* maſſam ſanguineam intenſiori *inteſtino ſpumefactorio* motu exagitent, cui augmentum *progreſſivi* motus conjungitur, ut propterea præſens *abundans* ſanguis *valide* & præter ordinarium modum plus *commoveatur*; ab hoc vero *motu moleſte* afficitur *natura*, ut ſanguinem, in *nimia* ſua quantitate *adverſum*, vel è *priſtinis* locis, e quibus eundem *alias eliminare* conſueverat, *denuo* expellat & pro *hoc fine* motus neceſſarios & *excretoriæ* functioni reſpondentes atque convenientes applicet, quo *actualis* talis ſanguinis eructatio conſequatur, vel ex alia parte eundem *ſuperfluum* ſanguinem eliminat, ſub illa quidem *moderatione*, ut *mitius* impulſa & provocata etiam ſubſequentem Hæmorrhagiam cum aliquali *continentia* perpetret, *immoderatius* viciſſim commota, hunc ſtimulum cum *majori impatientia* & vehementia proſequatur: ex eo vero ſubinde in tali negotio *naturæ* concurſus *ulterius* obſervari poteſt, dum Hæmorrhagiarum vel *mitior* vel *gravior* ſucceſſus, tandem iterum *acquieſcit*, ni ſub maxime *immoderata* inducti *ſtimuli* proſecutione, denique cum evidenti exceſſu talis Hæmorrhagia continuet: ſed quoniam ejusmodi ſanguinis profluvium etiam *ſponte* iterum *ceſſare* poteſt atque ſolet, itaque merito *naturæ activitatem* accuſamus, quæ parili ratione aliàs Hæmorrhagiarum *terminos* dirigere ſolet; etenim ni hæc *moderatio* ſuperveniret, *ſemper* Hæmorrhagiæ cum *lethali* eventu excurrerent & eo usque continuarent, donec in *extremum* gradum ſanguis emanaverit: quando itaque catalogus illarum ſpecierum medicamentoſarum pervolvitur, quæ *Menſes reſtituere* dicuntur, certè vix *alia* utplurimum reperiuntur ſubjecta, quam talia, quæ efficacius ſanguinem *impellunt* & vulgo *acriorum* nomine veniunt, ſive *aromatica* fuerint, ſive alia, cujus indolis ſunt *myrrhata*, *crocata*, &c. & hæc eadem medicamenta vulgo ad *Hæmorrhoidum revocationem* laudantur, quæ eodem modo in tali caſu operantur: alias

vero

vero tum ad Menſium, tum Hæmorrhoidum promotionem & *reſtitutionem* commendantur talia *alvum aperientia* remedia, quæ magis *inferiora* inteſtina ſtimulant & *ad illa* tum *totius* maſſæ ſanguineæ *majorem* copiam, tum aliorum *ſpecialium* humorum mucidorum quantitatem advocant: quo *majori* itaque copia & quo *frequentius* alibi in has *inferiores* regiones ſanguinis *acceſſus* invitatur, eo facilius natura hiſce *inferioribus* locis ita *adſueſcit*, ut quando *ſpontaneas ſuperflui* & *moleſti* ſanguinis exonerationes ſuſcipit, ex *hiſce* regionibus easdem perficiat: hac ratione *aloëtica* & *helleborina* ad *motus hæmorrhoidales* provocandos & augendos contribuunt: quid quod talia remedia ejus efficaciæ ſunt, ut per *frequentiorem* illorum uſum *ſucceſſivè* in hæc loca ita *invitetur natura*, ut, ſi antea *vix ſua ſponte* eo declinaverit, nunc propter *frequentiorem ſtimulum*, in hiſce locis perpeſſum, magis reliquas *inſolitas* ſanguinis & congeſtorias & eluctatorias commotiones eo transferat; ſicut de prædictis remediis paſſim conſtat, quod hoc elogio gaudeant: ita etiam liberiores & repetitæ *laxationes* ex eodem fundamento ad harum Hæmorrhagiarum *revocationem* conferunt, quoniam magis hosce *motus* excretioni ſubſervientes in *inferiores* regiones convocant, ut in hiſce natura *extraordinarias* ſuas evacuationes perficere contendat: quod denique *martialium aperitivorum* vim & efficaciam circa *reſtitutionem Hæmorrhagiarum* attinet, tunc eadem perinde *æquivoca* eſt, ſiquidem talia remedia *per ſe* & *ſimpliciter non* aperiunt, quando vero *ſpontanei interni* apparatus & conatus ad Hæmorrhagias adſunt, tunc martialia remedia, *tali tempore* oblata, ad *ſtrictoriam* commotionem ſtimulum addunt, quam ſubtilem & efficacem conſtrictionem *natura* nunc in *illo loco* adminiſtrat, *in quo* impræſentiarum cum *extraordinario* actu eluctatorio occupata eſt, quæ ſtrictura *hiſce locis* addita, ubi jam *congeſtoriæ* commotiones vigent, *tantum* effi-

ciunt quo ultima denique *eruptio* ſuperveniat: qui vero talia remedia *inopportune* ordinat, loco ſalutarium *apertionum*, firmiores *occluſiones* impetrabit: quodſi contra remedia ſanguinem *commoventia*, ad *inferiora* loca *derivantia* & *ſtricturam internam* provocantia ſimul & in *una formula* exhibeantur, tunc aliquando *certior* Hæmorrhagiarum *reſtitutio* obtineri poteſt: ſed poſtulat hæc methodus *prudentem artificem*.

§. XXIII.

Ex eodem hactenus tradito & expoſito fundamento, fluit ille modus, quo remedia quædam ad SECUNDINARUM, MOLARUM & FOETUS MORTUI EXCLUSIONEM operantur & *cooperantur*, de qua animadverſione mox hoc loco atque ordine tractamus, quoniam in præcedentibus de purgationibus *uterinis* ſermo inſtitutus fuit; ſicut vero in *Menſium* & *Lochiorum* promotione & revocatione uterus à *copioſo* & *moleſto* ſanguine liberatur, ita in hac ſpecie evacuationis, à *ſolido* quodam, ſed perinde *inutili* & *adverſo* ſubjecto liberatur & *repurgatur*; etenim *Secundinæ*, poſteaquam fœtus *excluſus* eſt, æque *minus* in corpore *retineri* debent, ac *falſus conceptus*, *mola* & *mortuus fœtus*, qualia ſubjecta perinde *æquali* motu *extra* uterum ducenda ſunt, quo aliàs *legitimus* partus abſolvitur, neque quidem huc *confuſi* & immoderati ſpaſmi quadrant, ſed ita plane *ordinati* & *ſufficientes*, quo *excretioni* inducendæ ſatisfaciant, uti aliàs per *easdem* ſpaſmodicas commotiones uterus *occluditur*: quando itaque tam *menſtruus* ſanguis, quam *perfectus* fœtus à *natura* humana *convenienti* tempore, citra aliquam *phyſicam coactionem* evacuatur, imo quando *animi turbæ* hanc excretionem graviter offendere & *alterare* ſolent, ita certè alienum eſſet, in *alia* uterina purgatione aliam & quidem *turbulentam* atque *obſcuram* cauſam accuſare velle: per hanc demonſtrationem mox inculcamus, quod ſecundinæ, falſus conceptus, mo-

la,

la, fœtus mortuus ab *eadem natura* per *eosdem congruos* uteri ſpaſmos expelli debeant: ſi vero nunc illum *modum* perpendimus, aut rectius illam cauſam perveſtigamus qualis ad menſium & legitimi fœtus exonerationem contribuit, tunc vel *inutilitas* & *moleſtia* ſanguinis *ſuperflui*, vel ulterior *inutilitas* fœtus in *utero* ad hunc actum diſponere obſervatur; quicquid itaque ſanguinis *abundantioris* præſentiam magis *moleſtam* reddit, illud in fœminis ad evacuationes *uterinas* inducendas, concurrit: quare per multiplicem obſervationem comprobatum eſt, quomodo eminens *plethora*, vario modo *impulſa*, ad *abortus*, interdum *numericos* & plane *periodicos*, diſpoſuerit: unde quidem non in *artis* communi & uſitata methodo & *poteſtate* eſt, *directè* uterum & immediate ad *tales* ſpaſmos & excretiones adigere & provocare, cum ne quidem peſſaria, fomenta, ſuffimigia admodum *probata* & *ſecura* ſint: niſi in fœminis *robuſtioribus* aliquid quandoque valeant: tamen *communior* illa deprehenditur eſſe methodus per *interna* remedia hanc exonerationem uteri perficiendi aut ad minimum tentandi: quare æque *ambiguis* ſucceſſibus hic actus excretorius ſubjacet, ac alter *parallelus*, quo Menſium revocatio urgetur, perinde multis *difficultatibus* obnoxius eſt; tanto minus vero *prompte* natura ſe ad *mortui* fœtus excluſionem accingit, quo magis non modo illa de *interitu* fœtus, quem cum *tanta cura* & ſollicitudine hactenus geſtaverat, *idealiter perturbata* & perterrita eſt, ſed & quo magis hoc *cadaver*, quod in *vivo ſuo* corpore occluſum tenet, *averſatur* & circa illius extruſionem *ambigit*, *remotionem* quidem illius omnino *deſiderans*, ſed quo ipſamet *mortuum* fœtum aggrediatur, *abhorreſcens*: hinc fœtus *mortui* excluſio tam *difficilis* & operoſa eſt, quoniam in illius adminiſtratione natura tantopere *ambigit* & *confuſe* procedit, ut ea propter *duplici ſtimulo* & moderamine in hoc negotio opus ſit, *primo* quo adeo *abjecta*, timida & *trepida* natura *reficiatur* &

hac *grata* refocillatione, ad opus hoc *liberius* ſuſcipiendum, excitetur, inſuperque in neceſſariarum *virium* conſervatione eadem hoc opus exequatur: *ſecundo* quo partim ad motus *vegetius* exercendos magis adigatur, partim ita *præparetur*, quo ſub *ſpeciali* motuum applicatione ad *uterum*, præſens illud *inutile* ſubjectum, quod in utero hæret, *expeditius* exturbet atque projiciat.

§. XXIV.

Communiter itaque ad horum contentorum *uterinorum* excluſionem *talia* remedia commendantur, quæ *Menſibus expellendis* & *impellendis* vulgo dicantur, qualia ſubjecta cum ad *fortiorem* ſanguinis *commotionem* inducendam contribuant, eo ipſo etiam præſentem ſanguinis *ubertatem* naturæ *moleſtiorem* reddunt, ita hæc à tali cauſa commota & *irritata*, ſanguinis *ſuperflui* & moleſti *exonerationem* è *tali* loco & parte ſuſcipit, unde ante hac idem negotium perficere conſueverat; quoniam etiam in utero aliud quoddam *inſolitum* ſubjectum præſto eſt, ita *ſimul* hujus excluſionem proſequitur, quæ ultima operatio, in comparatione ad priorem, magis *acceſſoria* eſt & indirecta, cum *prior* naturæ contentio *ſanguinis* moleſti *exonerationem* concernat: interdum vero & accidit & ſuccedit negotium, ut in locis *genitalibus* per *acria* remedia, aut halitus & vapores irritantes *commota natura* cum iiſdem locis *ſpaſmodicas* commotiones exerceat, quæ *primario* quidem *adverſi* remedii expugnationem reſpiciunt, ſecundario vero unà *contenti adverſi* ſubjecti uterini excluſionem inducunt, aut ſimul eadem *acria* remedia adeo *naturam* in *illis* locis offendunt, quo hæc proximius *contenta* ſubjecta extra uterum pellat: ita etiam ad ſimilem *excluſionem* diſponunt *alvum* ſubducentia experimenta, quæ naturam eo usque commovent, ducunt, ſeducunt atque irritant, quo perinde *deorſum* objectum illud in utero hærens & *excretione* indigens proſequatur & plenaria denique evacuatione projiciat,

jiciat: hinc *purgantia* remedia, tum quia in genere *fortem excretionem* inferunt, tum quia *catotericam* evacuationem involvunt, tum quia *ſenſibiliter* & moleſte *inferiores* regiones ad *evacuationem* irritant, tum etiam quia ad moleſtam *ſanguinis commotionem* contribuunt &c. ad *abortus* provocandos quadrant: adhuc *remotiori* vero cauſandi ratione atque modo *vomitoria* remedia ad horum *contentorum uterinorum* exonerationem conferunt; eapropter tamen, dum experimenta talia allegamus, non illorum *uſum* tam facilè & *promiſcuè approbamus*, ſed tantum indicamus, quid & quomodo aliquid fiat in negotio *urgendæ* hujus repurgationis uterinæ: & dum vomitus *ſpaſmodico-convulſivis* effectibus ſuccedunt, ita non modo *ventriculus*, ſed & *unà uterus*, in quo perinde *inſolitum* quoddam ſubjectum hæret, concutitur, motuque *ſpaſmodico* afficitur, *per quem* hæc ſubjecta partim à *nexu* ſuo, quem *cum utero* habent, liberantur, partim denique penitus *extra uterum* protruduntur, qui *modus* itaque eſt valde *immodeſtus*, *violentus*, coactus atque craſſus, qui quidem *aliquando* uterinam talem evacuationem poſt ſe trahit, interdum vero etiam *contrarios* maximèque ſuſpectos effectus edit, adeoque in numerum *curationis per accidens* ſuccedentis, referri meretur: Plura hac vice addere non lubet, licet in animum induxerimus totam hanc disquiſitionem de modo operandi medicamentorum, uno labore & ſpecimine pertractare: accrevit vero noſtra meditatio ſub manibus eo usque, ut tantum PRIMUM SPECIMEN hujus conſiderationis *hac vice* produci potuerit: L. B. interea æqui bonique conſulat, quod hic labor abrumpi debuerit; noluimus alicuius patientia in perlegendis pagellis, ſpeciminibus Inauguralibus deſtinatis, abuti, unde modeſtiæ noſtræ id adſcribendum eſſe, reputamus: dabit Deus beniginiſſimus occaſionem, quo hæc tractatio *pluribus* Speciminibus abſolvatur & quod deficit, ſuppleatur: interea

huic

huic divinæ clementiæ devotiſſimas grates perſolvimus, quod in præſenti labore nobis adeſſe & adſiſtere voluerit, cujus directioni & ulteriori promotioni, tum præſentem, tum connexas reliquas tractationes humillime conſecramus.

SPECIMEN
SECUNDUM.

PROOEMIUM.

QUando inanis quædam opera communi aliquo proverbio indicatur, tunc *actum agere* vel *nugas agere* vulgo declaratur, quaſi labor quidam vel per ſe ſterilis & vilis, vel jam alibi perluſtratus & pertractatus denuo revolvatur & præter neceſſitatem atque utilitatem recoquatur, cum in negotio ignobilioris ſortis interdum vel levis explicatio & illuſtratio ſatisfaciat, ut animus atque ſtudia ad res magis arduas, neceſſarias atque utiles applicari posſint: neque quidem veritati repugnat illud *Pindari* effatum quod ad *honeſtam cauſam tria verba ſufficiant Od. VII.* aut uti *Symmachus* dixit *Lib. VII. Ep. 16. Non ibo longius: quia brevis eſt aſſertio veritatis*; tamen ea propter diſerta & ſufficiens alicujus conſiderationis deductio minime reprobanda eſt; unde recte *Plato in Politico* elocutus eſt: *decet eum qui longiores ſermones vituperat circuitusque diſputationum hujusmodi non admittit, haud ita*

leviter temereque damnare prolixitatem, ſed oſtendere prius diſputatione breviori & promptiores ad diſſerendum & ad inveniendum ſagaciores nos, ſi ſequamur, reddi: Et quæ non unquam inclaruerunt medicorum prolixa ſtudia, ab omni ferme tempore operoſa & quidem circa medicamentorum ſuppellectilem, facultatem & modum operandi occupata; ut paſſim à priſcis ad noſtra tempora hæc indagatio innotuerit; hinc à Galeni imprimis ævis, ubi facultates remediorum ſimplicium paulo curatiori ſtudio explorari & commendari ceperunt, in noſtras usque periodos, utplurimum tum ſparſim, tum ex inſtituto ſingulari opera hæc disquiſitio agitata & tractata fuit, ſicuti *Williſius* in tractatu ſuo *de medicamentorum operationibus in humano corpore* idem negotium pro ſcopo ſuo habuit & obſervavit: & *Wedelius* in *amœnitatibus materiæ medicæ* paſſim proſecutus eſt: quis itaque non facile confiteatur, quod in hac animadverſione non modo medicum, ſed & phyſicum ſtudium officioſum æque ac operoſum fuerit, ut is *facem ſoli addere* videatur, qui ultro in eodem negotio operari manumque admouere geſtiat: Haud quidem res infimæ ſortis ac utilitatis eſt, quando artifex neceſſariam inſtrumentorum ſuorum, per quæ operatur, cognitionem aſſequitur & proſequitur: quodſi vero ipſe magis circa illorum notitiam, quam utilem applicationem occupatus fuerit, quidni hæc theoretica cognitio plus otioſa quam fructuoſa fuerit: & in eo perquam diſcrepat phyſica & medica remediorum disquiſitio atque commendatio: illa verſatur circa corticem, hæc nucleum proſequitur: illa delectatur de corpuſculis, figuris, porulis, extenſionibus,

bus, hamulis, ramulis, numeris, capſulis, obſcuris viribus, per tavtologiam, pleonaſmum & hyperbolem motricibus dictis, & quot non aliis phantaſiam afficientibus & concernentibus qualitatibus: hæc potius ſcrutatur ſalutares remediorum uſus, cauſis morbificis & ſubjectis ægrotantibus reſpondentes: illa diſſerit de remediorum elementis & relationibus ad corpus, quatenus eſt nuda materia: hæc vero inquirit & inculcat remediorum relationem ad corpus vivum, quod a corpore nude mixto abſolute differt & diſtat: illa ſpecioſe, argutè & curioſe de remediis diſſerit & animum utplurimum cum nudis & ſatis ſæpe craſſis allegoriis detinet; hæc ſepoſita tali diffuſa & ominoſa ponderatione, mox ad ſimplices & adæquatas animadverſiones contendit, ut eo ipſo eximium diſcrimen ſit inter indagationem remediorum phyſicam, botanicam, chymicam, mechanicam, metaphyſicam, characteriſticam, hieroglyphicam &c. & inter vere medicam, utilem, expertam, probatam, approbatam & vitæ atque ſanitati congruam illorum commendationem: aliàs quidem nullus ſane remediorum defectus, quin rectius copioſus illorum apparatus adeſt: neque etiam theoriæ de medicamentis deſunt; & ſicut olim *Hadrianus* Imperator ſepulchrali marmori hanc epigraphen incidi fecit: *multitudo medicorum perdidit Cæſarem:* ita licebit dicere: multitudo remediorum & ſpeculationum perdidit medicinam; enim vero quo magis de externo ſtatu atque ornatu remediorum ſolliciti ſumus, quo magis in materiales illorum qualitates ſcrutamur, quo magis eorum comparationes cum aliis materiis ſe-

ctamur & præcipui reſpectus obliviſcimur, nimirum quomodo remedia ſeſe ad motus vitales habeant, aut quomodo cum ſenſibilitate hominum conveniant &c. eo majoribus difficultatibus, æquivocationibus & incertitudinibus Medicina ſubmittitur. Sed quo denique hæ noſtræ animadverſiones tendant? facile in illam cenſuram incidere poſſimus, quaſi contra nos ipſos pugnemus, loquamur & conatus noſtros reprehendamus: nupera enim occaſione de Medicamentorum modo operandi in corpore vivo actum fuit, circa quam eandem conſiderationem præſens noſter labor adhuc occupatus eſt, quoniam hæc tractatio non peracta fuit: quis vero non facile agnoſcat, quomodo hæc indagatio & explicatio modi operandi, ita directè & poſitivè ad ipſius medicæ artis exercitationem haud pertineat, ſed quod magis ad inſtrumentorum, quibus medica ars utitur, disquiſitionem pertineat, qua notitia tamen artifex etiam ſine ſingulari damno carere poſſet: ſed quantum quidem reminiſcimur, in primo hujus Thematis ſpecimine indicatum fuit quomodo hæc conſideratio modo inutiliter & ſteriliter tractetur & inſtituatur, & quomodo viciſſim judicioſe & fructuoſe perpendatur atque agitetur: quod ſi itaque in aliqua animadverſione qualescunque utilitates emicent, vix à ſcopo ſuo aberrabunt, qui illius obſervationis pertractationi intenti ſunt: quo loco in mentem noſtram incidit effatum *Platonis in Evthydemo: plus eſt puto*, dicit, *cum quis re quapiam abutitur, quam cum omnino non attingit: illud ſiquidem malum eſt; hoc nec bonum, nec malum:* quamvis quidem id potius approbaverimus, quando conſideratio quædam plane non attingitur, ac ſi in abuſum

tra-

trahatur; tamen vix rejiciendus erit labor, qui in viliori etiam obſervatione contentos utiles & ad promovendam veritatem medicam idoneos & neceſſarios reſpectus commendat & producit: ita contingit aliquando, ut res, quæ minoris exiſtimationis eſſe videntur, ſub congrua applicatione ſufficientem utilitatem inferant, quare recte *Tullius Lib. V. de Finibus* dixit: *omnium rerum principia parva ſunt, ſed ſuis progreſſibus uſu augentur:* hinc minores conſiderationes majoribus manus præbent & in noſtro foro aliquo modo veritatem medicam adjuvant: ob id etiam ſemel ceptum laborem non indignum judicavimus, quo continuetur & per plures disquiſitiones & explicationes veritatis medicæ accrementa promoveantur: quin rectius reprehenſione aliqua illi conatus digni cenſendi eſſent, qui quando ſemel alicui negotio manus applicuerunt, in ipſo opere manus retrahunt & imperfectum opus relinquunt: placuit eapropter, cum noſtrum officium ſit Inaugurali diſſertatione thema quoddam, medico uſui accommodatum, elaborare, doctrinam de MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO *Specimine ſecundo* continuare, & hanc animadverſionem ad uſus vere medicos dirigere: adſit nobis in hoc conamine divina benedictio, quo propoſitum noſtrum exoptatum ſalutarem ſcopum asſequatur.

§. I.

§. I.

EXploratio *virium* medicamentorum ab omni quidem ævo ſatis ſollicitè quidem inſtituta & continuata, ſed multis etiam *difficultatibus* & *ambiguitatibus* unquam obnoxia fuit; quare remedium quoddam *laudatur* ab his, *culpatur* ab illis, & ſicut juxta *Senecæ* effatum in *Epiſt. 116.* *nullum vitium eſt ſine patrocinio*, ita ſecundum *Montanum in Libello de gradibus & facultatibus medicamentorum*, *nullum virus eſt*, *quod non panegyrico gaudeat*: ſi vero in ejusmodi rebus, quæ in *ſenſus* incidunt, ut ſunt medicamentorum *diverſi effectus*, tantæ *incertitudines* atque tergiverſationes occurſant, quid mirum eſt, ſi in aliis reſpectibus, *externos* ſenſus non offendentibus, adhuc *majores* difficultates, dubitationes & *hæſitationes* occurrunt: hujus *poſterioris* ſenſus ſunt *operationes medicamentorum internæ*, quæ ita *manifeſtæ* neutiquam ſunt, ut propterea facile *objurgatio* illa in medicinam transferri poſſit, quod tantum *conjecturalis* exiſtat: neque quidem audienda & attendenda erit illa *obtrectatio* quaſi eapropter de *modo operandi* medicamentorum medicus *nihil certi*, *verique* aſſequi poſſit, quoniam de illorum *efficacia* nullam *manifeſtam* & viſibilem evictionem habet, aut quaſi hæc *operatio* in ſenſus *externos* haud incidat: illud interim pro *fundamentali* hujus disquiſitionis illuſtratione inſervit, quod medicamenta operentur *in corpus*, & quidem ſub *aliis phænomenis* in corpus *vivum* & ſub quibusdam *aliis* viciſſim in *mortuum*: deinde quod medicamentorum nude *phyſica* operatio *ut plurimum* magis *noxia*, quam proficua fuerit, v. g. ſi ſalia *deterſiva* modo in ventriculo *manerent*, neque ulterius *promoverentur*, plus illum *offenderent*,

vil-

villoſam illius tunicam *colliquarent*, *nerveam* ventriculi tunicam magis *vellicarent* & majores moleſtias parerent: quod vero talia *intimius* transferantur, neque per vomitum *rejiciantur*, id non *phyſicæ* alicui efficaciæ, ſed *altiori directorio* accenſendum eſt: porro ad *fundamentalem* hanc animadverſionem ſpectat, quod *corpus læſum ſe ipſum* reſtituere & *curare* non poſſit, ſicut in *tota* rerum natura nullum *compar* exemplum occurrit, quod ulla *materia corrupta* & alterata, *ſe ipſam emendare* poſſit: ubi ridiculum eſſet conamem & *refugium*, quaſi hanc *poteſtatem*, *ſe ipſum* curandi & corrigendi, Deus *ſoli corpori* humano conceſſerit; quod aſſertum minimè *ab effectu* demonſtrari poteſt, cum *effectus* quidem *ſpontaneæ* curationis *verus* ſit, an vero hic effectus *à falſis* illis principiis pendeat, nondum *rationabiliter* demonſtratum conſtat: propterea neque corpus neque materiale inſtrumentum *læſionem* ſuam reparat, ſed *rationalis* hujus *inſtrumenti applicatio* plurimum contribuit ad *ſalutarem* effectum: inde vero perpetua elucеſcit *differentia* inter efficaciam inſtrumenti *materialem*, inter juſtam inſtrumenti *applicationem* & inter effectus *phyſici*, ab *inſtrumento* pendentis, receptionem & *æſtimationem*: neque quidem vel ulla oblata remedia *ſalutarem* aliquem effectum promitterent, ni cum *vitalibus* motibus, qui non è *corporis*, ſed *naturæ* energia fluunt, dirigerentur; hinc ad operationum *medicamentoſarum* notitiam maximè contribuit cognitio *motuum vitalium* & ipſius œconomiæ *vitæ* atque *ſanitatis*: omnium maximè tamen ad *ſalutarem* remediorum effectum contribuit *interna ſenſatio*, quæ iterum minime cum *corporeis* qualitatibus confundenda, ſed per multiplices demonſtrationes *naturæ* capacitati & operationi competit; qua *ſenſatione* mediante, oblatorum remediorum *phyſicæ* efficaciæ *percipiuntur* & ſubinde aliæ *convenientes* & ſalubritati acquirendæ inſervientes commotiones *ſubordinantur*: hæc uti prin-

cipalia ſunt fundamenta ad *medicamentorum operationem* cognoſcendam neceſſaria, ita plura ſuppeditari poſſent, ni hæc hoc ordine ſufficere videantur.

§. II.

Minime tamen competit *medicamentis* certas *vires* & qualitates *ultra modulum* ſuum imputare; neque vero propterea aſſerimus, quaſi remedia *plane otioſa* ſint, licet in multiplici caſu ejusmodi *effectus*, qui alias remediorum *uſum conſequuntur*, ſua *ſponte* occurrant, adeo ut ſub *naturæ* poteſtate ſit, *evacuationes* & *alterationes* adminiſtrare, & *illas* quidem vel *augere* vel *minuere*, *has* vero tum in *materias*, tum in *motus* transferre & exercere: quamvis quidem *ſua ſponte* tales *operationes* aliquando *natura* exerceat, tamen nonnunquam etiam illa *admonitione* quadam indiget, aut *levamine* quodam opus habet, quo *ſalutares* & neceſſarii effectus *citius* & *certius* impetrentur; quæ ipſa conſideratio in *moralibus* negotiis ſuum fundamentum habet, ubi interdum certæ *cauſæ* & *occaſiones* conquirendæ & offerendæ ſunt, quæ *neceſſarias* operationes *excitant*, quamvis *illas* interdum anima *ſponte* adminiſtret: eſt itaque *remediorum* effectus *mere phyſicus*, cum per *ſalina*, *ſulphurea* & *terrea* ſua principia vel in *fluidas*, vel in *ſolidas* partes operentur: ſed certe *hic effectus* nondum *medicus* eſſet, niſi à *natura concurrente* & ſuperveniente demum *rite diſponeretur*: quodſi enim *medicum* effectum curatius pervolvamus, tunc ille non alius eſt, quam qui diverſis cauſis *lædentibus ſubjugandis* & *expugnandis* competit & legitimè *convenit*: jam vero ſi *remedium* quoddam *adhuc potentius* corpus ſtimularet, vellicaret, pungeret, roderet, *afficeret* &c. tunc *propterea* non ſuperveniet *evacuatio*, niſi in corpore *ſenſatio* adeſſet: *ſentire* vero, non eſt proprietas *materiæ*, quia conſiſtit in *reflexiva perceptione* & conjuncta *æſtimatione grati* aut *adverſi*: ſterilis proinde omnino eſt aſſertio in *ſubſidium* hujus conſiderationis *ſpiritus*

ac-

accuſare, iisdemque facultatem *ſentiendi* & gratum ab ingrato *diſcernendi* affingere; quemadmodum talis proprietas *mentalis* & *moralis* in nullius *materiæ* poteſtatem cadit; unde certe *fabuloſa* & *comica* eſſet illa ætiologia *vomitus* per *artem* provocati, quando dicitur, quod remedia *emetica nervoſum* plexum ſtomachi *rodant*, inde contingere, ut è *cerebro ſpiritus* accurrant advolentque, velut araneus ad muſcam, in tela ſua irretitam & captam, hinc hoſce ſpiritus ob *adverſam* & moleſtam *roſionem* ventriculum *invertere* & denique emeticum ingeſtum ſimul *exturbare*: quis vero ita vanus & credulus fuerit, quo ejusmodi commentis & ridiculis narratiunculis aſſenſum præbeat: exinde illud tantum brevibus colligimus, quod neque *corpus*, neque *remedium* ad *evacuationem* celebrandam *per ſe* ſatisfaciat, ſed quod *ſecundum* remedii oblati *efficaciam phyſicam natura motus* ſuos applicet, diſponat & *dirigat*, quare in tali ſtatu neque *remedium* neque *natura* in *otio* ſunt; *illud* efficit, *quantum* poteſt, *citra* reſpectum ad *ſalubritatem*; *hæc* vero operatur, quantum pro corporis *conſervatione* & ſalvatione debet atque *convenit*.

§. III.

Sed ne diutius in *generaliori* introductione ſubſiſtamus, nunc in præſenti tractatione in eo termino atque ſtadio progredi lubet, in quo *nupera* occaſione *prius ſpecimen* ſubſtitiſſe recordamur: *cepta* fuit hæc disquiſitio in remediorum *evacuantium* explicatione; unde actum fuit de eo, quomodo *Emetica*, *Catharctica*, *Diaphoretica*, *Diuretica*, *Hæmorrhagias* promoventia, *uterum* purgantia, operentur: nunc *aliorum Evacuantium* mentio injicienda erit è quibus in ordine EXPECTORANTIA occurrunt, quorum *uſus* quidem *perquam familiaris* eſt, ſi vero illorum *modus operandi* recte innotuerit, tunc variæ circumſtantiæ *providum* illorum uſum illuſtrabunt: vulgo quidem *Expectorantia* illa dicuntur, quæ excretionem *muci*

mobilioris è *pectore* adjuvant: quo loco hos *neceſſarios* reſpectus inculcare debemus, *primo* quod hanc ſpeciem excretionis in *omni* ferme *ætate* natura *ſua ſponte* perficiat, ut nullo *artificioſo* concurſu opus ſit: unde in *illo caſu artificialis* expectorationis promotio locum invenit, quando *ſpontanea* hæc evacuatio *deficit*: *ſecundo* quod magnus paſſim *error* committatur circa Expectorationis *adminiſtrationem*, ubi remedia hujus prædicati adeo *incaute* & *immoderate* aliquando ordinantur, ut magis materiæ intra pectus *convehantur*, quæ *ſua ſponte* eo haud perveniſſent; *tertio* quod aliquando ſecundum *trivialem* medendi methodum Expectorantia in *tali caſu* ordinentur, ubi e pectore *nihil* evacuari debet, ſed ubi demum *præter utilitatem* & *neceſſitatem* hæc excretio urgetur: *quarto* quod ſub hac *inſolita* evacuatione, *præter neceſſitatem* inducta & *ſeducta*, aliæ magis *ordinariæ muci* excretiones *imminuantur*; unde in *Hiſtoria practica* ſatis notum eſt, quomodo ſub continuata *largiori Expectoratione* non modo excretio muci *è naribus* imminuatur, ſed & ipſe *alvus* exſiccetur: *quinto*, quod expectoratio minime *ordinariis* excretionibus accenſenda ſit, quoniam in *perfecto* & legitimo ſanitatis ſtatu, nulla talis muci collectio *in pulmonibus* & *excretio* ex iisdem fieri debet; uti *pulmonum* officium pro *muci* tractatione & aſſervatione dicatum minimè deprehendimus, cum *tenera* hæc pars ne *phyſicam* quidem relationem habeat ad ordinariam *muciditatis* directionem & receptionem: quando verò *extra ordinem* contingit, ut *mucus intra* pulmones ſecedat, tunc omnino *neceſſarium* & *proficuum* eſt, ut ille mucus *è pectore* ejiciatur, neve *nova* moleſta & inutilis quantitas *intra illud* convehatur: *ſexto*, quod ipſa expectoratio nitatur *mobilitate* illius materiæ, quæ è pectore *evehenda* eſt, & *motu* illo, qui pro *hoc actu* perficiendo ſatisfacit: *ſeptimo*, quod materiæ *mobilitas duplici* præcipuo modo *peccet*, adeoque convenienti aliqua

præ-

præparatione indigeat, dum vel *nimis ſpiſſa* & tenax eſt, adeoque ſub *omni motu* & molimine excretorio *emoveri* non poteſt, quin potius fortius *intra pulmones* infarciatur & impaſtetur; vel dum *nimis tenuis* & ſimul *acris* eſt, adeoque propter *ſubtilitatem* ſuam haud facile *evehi* poteſt, interea per *acrimoniam* ſuam *teneram* pulmonum texturam magis afficit & *offendit*: *octavo:* quod ex nudo *motuum vitio* citra ſingularem *materiæ* aut *partis* culpam hæc expectoratio *continuari* poſſit ſoleatque, teſtimonio illorum catarrhorum *habitualium*, pectus detinentium & affligentium, ſicut viciſſim *cura* in tali afflictionis ſpecie magis ad *motuum*, quam *materiarum vitia* dirigenda eſt: *nono* quod in ſubjectis *ſanis*, quæ *nulla* pectoris afflictione laborant, per *expectorantia* remedia *motus* ita *ſeduci* posſint, quo inſolita pectoris *mucida oppletio* & connexa *expectoratio* conſequatur: *decimo:* quod naturæ in more poſitum ſit, quando *aliæ ordinariæ* excretiones, maxime quidem *alvinæ* & *periphericæ* turbantur, aut inſufficienter progrediuntur, quo cum *vicario* hoc *expectorationis* actu ſuccurrat: *undecimo:* quod ſingularis humorum *directio intra pectus* ad *expectorationem* requiratur, cum vix ita *fortuito* humorum *præparatio in pulmonibus* ſuccedat, neque evacuatio ex illis tam *confuſe* procedat: *duodecimo* denique quod ad *ſalutarem* hujus expectorationis adminiſtrationem *artificioſam* & *medicamentum* & *natura* & *medicus* requirantur.

§. IV.

Ex hiſce conſiderationibus nunc paulo clarius explicandus erit *modus*, quo *Expectorantia* remedia operantur: continent vero hæc medicamenta *volubilem* aliquam *mucilaginem*, ſive *oleoſam*, ſive *pulpoſam*, quare *lenientia, pingvia, gelatinoſa* & ſimilia, *expectorante* qualitate prædita ſunt; horum *effectus duplex* eſt, *primo* liberant & facilitant *ordinarias excretiones*, præcipuè *alvinas*, unde talis ventilatio in-

ducitur, quo minus *affluxus* humorum *ad pectus* vel acriter *continuent*, vel fortius *augeantur: deinde* eadem medicamenta *pulmones* & *contentos* humores *emolliunt*, *involvunt*, *leniunt* & volubilem atque *mobilem* conſiſtentiam iisdem inducunt, quo eò *facilius* deinde *evacuari* mucida recrementa queant: quod vero hoc tempore & in *hoc caſu horum* remediorum *mucilago* magis *ad pectus* transferatur, iterum peculiari annotatione digna eſt obſervatio: non quidem negamus, quod ſubſtantia hæc *mucilaginoſa* in *univerſam* maſſam ſangvinis diſperſa & immixta ſit, & quod *æqualiter* per corpus circumvehatur, unde varias *alias* excretiones *facilitant:* attamen quia nunc *tranſitus* motuum ſive *congeſtiones ad pectus* auctiores ſunt, ita cum reliqua maſſa ſangvinis connexa &commixta materia *mucilaginoſa* copioſius *intra pulmones* transfertur &illic præſentibus *immobilioribus*, aut nimis *ſubtilibus* & *acribus* materiis affunditur, quæ exinde *mobiliorem* conſiſtentiã nanciſcuntur: aliàs in ſubjectis *ſanis* hæc *expectorantia* uſurpata *pulmones*, tanquam partem *teneriter* membranaceam, magis quam *alias* partes *membranaceas*, quo ſangvis non tam copioſe pertingit, eliquant, leniunt, *emolliunt* & relaxant, adeoque tantum efficiunt, quo *intra illos* talia recrementa ſeroſa mucilaginoſa facilius *ſecedere* poſſint: inde etiam contingit, ut per qualemcunque *aptam occaſionem* ab *ordinariis* viis & ordinibus *deducta* natura, nunc *inſolitas* vias ſectetur & *erroneo* operandi modo *inverſam* hanc muci *excretionem* continuet, propterea que ab *ordinariis* locis *deflectat*, quin hæc ſucceſſivè *activè occludat* & in *aliena* illa loca tenacius decumbat: quapropter ſub *immoderatiori expectoratione alvus* communiter *ſiccior*, ſegnior & ſtrictior eſt, quoniam naturæ raro familiare eſt, uno *tempore*, uno eodemque *gradu unam eandemque* excretionem ex *ſupernis* & *infernis* locis *ſimul* perpetrare: habent itaque quædam ex expectorantibus illam *materialem* efficaciam, ut

pul-

pulmones quoad *texturam* ſuam *emolliant*, eosque eo ipſo diſponant, quo non modo ſangvis per illos *irregulariter* & impeditè transfluat, ſed quo *ſecesſio* illa mucilaginoſa *intra illos* copioſius contingat: hinc evenit, ut, *quo plus* expectorantia talia adhibentur, eo plus *pectus oppleatur*, ut ſemper materia *expectoranda* adſit & expectorationis interdum, ut ajunt, *nullus finis* reperiatur: quid quod talia *emollientia* illam efficaciam habent, quo eo usque *ordinariam* membranaceæ pulmonum *texturæ tenſionem* alterent atque *emolliant*, ut ſuſpecti *infarctus*, periculoſæ *ſtaſes* & plenariæ *corruptiones* conſeqvantur: unde facilè colligere licet, quanta cum *prudentia poſitiva* talia expectorantia uſurpanda ſint, ni noxam parere debeant: quamprimum vero *materia* in pectore *mobilis* reddita fuit, tunc ad *ultimum excretionis* & formalem quidem ſucceſſum talia *expectorantia nihil* contribuunt: etenim excretio hæc cum *ſuccuſſatoria* tuſſiculoſa pectoris commotione abſolvitur, quacum materia excernenda *attollitur* abſtergitur & *excutitur*; hanc *tuſſim* non efficit *medicamentum*, neque etiam *mucus*; ſiquidem in hoc *ſtimulans* qualitas accuſari vix poteſt, dum communiter tanta *ſalſedo* ipſi haud ineſt, *quanta ad hunc effectum* idonea ſupponitur: neque *gravitas preſſoria* nexum rationalem habet cum *tuſſi*, quoniam talis *materia* per *qualitates* & circumſtantias *phyſicas* commode *in pulmonibus* hærere poſſet, etiamſi *non excerneretur*: ſed dum *tuſſis* abſolutè *tendit* ad *excretionem* & *deſinit* in eadem, eapropter *rationabilem* illum nexum comprehendimus, quod hæc *tuſſis* non ſit *effectus materiæ* excernendæ, aut *organi* affecti, ſed *naturæ*, quæ *mediante* hac commotione ad *ſalutarem* evacuationem collimat: id vero eo magis ex eo eluceſcit, quia *tuſſis* non primario *cum pulmonibus* perficitur, ſed cum *muſculis pectoris* & ſuperioris *dorſi* regionis ad *inſpirationis* negotium & *thoracis motum* contribuentibus: ſi itaque materia in *pulmonibus tuſſim*

pro-

provocare deberet, quomodo poſſibile eſſe, quo illius effectus extra pulmones *in externum thoracem* ſe diffundat! ubi aures valde affligunt atque vexant, illæ infirmæ exclamationes, quaſi hoc ob *conſenſum generis nervoſi* contingat.

§. V.

Præter hæc expectorantia *lenientia* & *emollientia*, dantur adhuc *alia* remedia, quæ ad *expectorantem* effectum ordinantur; ex illis quædam ſunt *reſolventia* & *diſcutientia*, quæ dum *congeſtiones* à pectore *avertunt*, tantum etiam eo ipſo adjuvant, quo *reliqua* recrementa *in pectore* obhærentia *facilius* tractari & *moveri* queant: ſingularem itaque *efficaciam* & operationem *in pectus* habet *aniſum* & *fœniculum*, quæ ſpecies non modo *reſolvente* & *diſcutiente* qualitate præditæ ſunt, ſed & *leniente*; cum ſemina talia *ſubtili mucilagine* involvente & demulcente gaudeant: quo illa adhuc animadverſio ſpectat, quomodo per hæc remedia pulmones quantisper *roborentur*, ne nimiæ *ſequeſtrationi* aliarum mucilaginoſarum impuritatũ *pateant*; habent enim hæ ſpecies in partes *membranaceas nervoſas* relationem & efficaciam *roborandi*; unde in *oculorum* & *meſenterii* morbis conveniunt; ſicut enim *ſenſibilitas* in *diverſis* corporis partibus *gradu differt*, ita diverſa *remedia* diverſis *partibus accommodata* aut *adverſa* eſſe deprehenduntur, uti *nervoſis* partibus, *mercurialia* & pinguia ranceſcentia inimica ſunt. Interdum etiam *narcoticis* remediis vis *expectorans* adſcribitur, quæ vero magis *privativa*, quam poſitiva eſt, quando videlicet, ob *nimium* impetum *congeſtorium* & *oppreſſionem* atque *præcluſionem* pectoris *actualis* expectoratio *deficit*, cum tamen *materia* excernenda *in pectore hæreat*, quando itaque *hi motus*, qui excretionem è pectore *impediunt*, *mitigantur*, aut pro neceſſitate urgente, *ſedantur*, tunc talium remediorum uſum *actualis* expectoratio *conſequitur*. *Alterius* indolis & effi-

caciæ

caciæ *expectorantia* illa ſunt, quæ motum pectoris *tuſſiculoſum provocant*, quando *deficit*: ſi videlicet materia *in pectore hæret*, quæ *excernenda* eſt; ſi porro hæc materia *ſufficienter mobilis* eſt, interea tamen *neceſſarius motus*, ad excretionem conveniens, *deficit*; in quo paſſu unicum illud auxilium requiritur, quo *motus tuſſiculoſus* excitetur: hoc vix commodius fieri poteſt, niſi *talia* ſubjecta adhibeantur, quæ pulmones *irritare* adjuvant: quandocunque enim hujus conditionis remedia ordinantur, tunc *ſenſibilior* textura pulmonum ab iisdem facilius alteratur: ipſe proinde *motus tuſſiculoſus* non penitus eſt *turbulentus* aut confuſus, ſed ad *remotionem* & excuſſionem *moleſti* ſubjecti è pectore *directus*: quando itaque *irritantia* talia ſubjecta offeruntur & intra pectus transferuntur, tunc *iisdem* ſeſe *natura* nullo *efficaciori* & manifeſtiori motu *opponere* poteſt, quam hoc *tuſſiculoſo*, mediante quo *reliqua* in pulmonibus *hærentia* recrementa ejiciuntur: hujus indolis remedia ſunt *acida*, *auſtera*, quæ aliàs ad *tuſſim* commovendam contribuunt; tanto magis ſi vel *ſimpliciora*, vel paulo *largiora* exhibentur, quæ in tali caſu, ubi nunc pulmones *laborant*, tanto *facilius* operantur: utplurimum quidem acida qualitas non tam *cum ſanguine* intra pulmones transfertur, quam *è faucibus* hic *penetrans* ſapor *per aſperam arteriam* intra pulmones *communicatur*, qualis ſapor *acerbus*, *auſterus* & *acidus* ſatis frequenti effectu in vita communi hunc motum *tuſſiculoſum* provocat.

§. VI.

Duplex adhuc ſupereſt *experimentum*, quod in medicina *domeſtica* interdum *expectorantem* effectum in *infantili* ætate poſt ſe trahit: primo quando ſub *tenaci* & mucida pulmonum oppletione pectus *extrinſecus* inungitur cum ſubjectis *pinguibus* & *oleoſis*, quæ dum *poros cutis* in pectore *obliniunt*, eo ipſo *tenuium aqueo-ſeroſorum* humorum *tranſitum impediunt*, qui *introrſum ſecedunt* & ſe-

queſtrantur & *in pulmonibus* tenacem mucum *emolliunt*, leniunt & *fluidiorem* reddunt, ut poſthac *eo facilius* expectorari poſſit, haud vero *hoc ſerum* aquoſum *per ſe* intra pulmones *delabitur*, ſed ſub *peculiari* concurſu *directorii naturæ* introrſum *intra pulmones* transfertur; aliàs æque facilè ſub *circuitu ſanguinis* per *externam* regionem pectoris *in reliquam* ſanguinis maſſam transvehi poſſet; aſt nunc ſub illa afflictione, ubi *pulmones* cum muco obſeſſi ſunt, *tranſpiratio* vero ſenſibilis *impedita* eſt, hoc aquoſum ſerum *intra pulmones* transfertur & cum eodem *tenacior* hic mucus in *mobiliorem* conſiſtentiam convertitur: *alterum* experimentum perinde eſt *topicum*, quando cum *cepis plantæ pedum fricantur*, unde *expectoratio difficilior* perinde in *infantibus* paululum *levatur*, dum ex una parte principia illa *ſalina* ex cepis ſeſe *intra poros* inſinuant, ſanguinique communicata, *mucum* in ſanguine *reſolvunt* & tantum efficiunt, quo in teneris infantibus *reliquæ* excretiones muci *ordinariæ* in juſtum ordinem convertantur, dum ſingulari tali modo *colliquatio* mucido-ſeroſis humoribus inducitur; & de hac *reſolutoria* efficacia *pectus* una participat, ut ex eodem *expectoratio facilius* ſuccedat: ex altera parte hæc *afflictio* ceparum *ad plantas* pedum, *revellentem* efficaciam exſerit, dum partes hæ ſenſibiles adeo afficiuntur, ut temperati *rubefacientis* remedii & effectus inſtar *congeſtiones a pectore* avocentur, eo ipſo expectoratio *reliqua ſublevetur*; ne pectus *ulterius* cum *novo* humorum *affluxu* obruatur: cur vero *motus congeſtorii* talibus *avocatoriis* obtemperent & *ſtimulos* in exteriori corpore applicatos *ſequantur*, forte alia occaſione explicabitur: ſufficiat hæc de *Expectorantium modo operandi* brevibus propoſuiſſe.

§. VII.

Miſſa hac Expectorantium conſideratione, nunc ad *Apophlegmatizantia* remedia progredimur, horumque *modum*

dum operandi brevibus perluſtrabimus: ex hiſce primo MASTICATORIA pervolvemus,quæ quidem alias *rariorem uſum* & *utilitatem* in Medicina habent; ſed ne horum evacuantium obliviſcamur, illorum mentionem injiciemus: dicuntur vero *maſticatoria*, quia *maſticationis* actu tractata & *comminuta*, minime vero *deglutienda*, largiorem *ſalivæ affluxum* & effluxum cauſantur: ubi iterum pro meliori ſenſu reliquæ deductionis ſignificandum eſt, quod *affuſio* ſalivæ *intra* fauces ſatis *evidenti naturæ* dominio ſubjecta ſit, quæ propterea ſua *ſponte largiori* copia *tacite* hunc humorem in ſuis *ſe-* & *excretoriis* organis *movet*, *promovet* & *emovet:* quemcunque vero actum *ſua ſponte* natura adminiſtrat, *ad eundem* etiam per *varias cauſas* excitari poteſt; inter quas quædam *internæ*, aliæ *externæ* ſunt: de prioribus infra dicendi occaſio decurret: ad *externas* cauſas referimus *maſticatoria remedia:* ubi iterum illam opinionem *modeſtè* declinamus, quaſi ſalivæ copioſior affluxus, neqe *naturæ*, neque *medicamenti* concurſui, ſed tantum *actui maſticationis* imputandus ſit: cui ſententiæ has animadverſiones opponimus, *primo* quod *nuda* maxillarum *fortior conſtrictoria* compreſſio & *glandularum* ſalivalium connexa *coarctatio* negotium præſens non abſolvat, alias *alia* qualitercunque *aucta* & *citra* maſticatorii *remedii* uſum *arbitrarie* intenſa talis *commotio* maxillarum ſatisfaceret: *deinde* maſticatoria talia *remedia* vel *leviſſime* maſticata, vel tantum intra fauces aliquandiu *detenta*, hunc effectum *copioſioris* ſalivæ *affluxus* cauſantur: *porro* longe *alterius* conſiderationis eſſe judicamus, quid fiat tantum ſecundum *leges* & *neceſſitates mechanicas* & quid fiat *in ordine vitali*, cum proceſſus *vitales*, *phyſici experimentales* & *mechanici* non in *unum chaos* confundendi ſint &c. miſſis *pluribus* animadverſionibus, quæ non *præſentis* ſcopi ſunt; neque quidem medicamentis *tantum* imputamus *illam efficaciam*, quaſi ſalivam copioſius, *attra-*

hant & alliciant, quæ nimis *obſcura* & intricata eſſet aſſertio, in qua plane nullus *evidens* & vere *rationalis* conceptus occurrit: neque etiam huic negotio abunde ſatisfaceret *nuda* humorum ſalivalium *colliquatio* & reſolutio, quam demum factam *ultima* illa excretio ſequi deberet; cum humores in œconomia *vitali* haud *ita paſſive elabantur*, ſed cum *peculiaribus motibus* evacuentur & exprimantur: in hoc *medico* maſticationis ſucceſſu & effectu *duplex* conſideratio inſtituenda eſt, *primo remedii*, *deinde naturæ*, ſive quid *remedium efficiat* & quomodo *natura cooperetur*: remedia maſticatoria vel ſunt *acria*, *ſalino-ſulphurea*, papillas faucium *nervoſas* & glandularum maxillarium ſuperficies offendentia & *acredine* ſua *irritantia*, ut ſunt radices acriores, aromata & ſimilia alia ſubjecta; vel ſunt ſimul talia quæ humores ſalivales *liquant*, reſolvunt & *fluidiores* reddunt; vel denique ſunt quædam ſubjecta, quæ *dentibus* tantum *compreſſa* & ſub lingua voluta, ſalivæ largiorem *affluxum* cauſantur; haud vero tantum hic *remediorum effectus* & *modus adhibendi* ſatisfacit, ſed quia *acris* illa faucium *irritatio* & compunctio ſenſum *moleſtiæ* inducit, quomodo *rationabilius* huic moleſtiæ *abigendæ ſuis* conſiliis atque viribus ſuccurrere poſſet *naturæ*, niſi ſalivam *copioſius* intra fauces affundat & *cum hac acres* illas moleculas, ſuperficietenus adhærentes, *eluat*, *diluat*, abſtergat & *debilitet*, quin denique ſub hoc ſalivæ *vehiculo* & connubio penitus evacuet & *removeat*: quando vero remedia quædam humores in faucibus præſentes & confluentes efficacius *reſolvunt* & attenuant, quid mirum, ſi natura non modo hos *fluidiores* humores nunc majori *alacritate* exprimat, ſed & ſub hoc actu *à tergo* plures alios *convehat* & excernat: haud enim neceſſitas *phyſica* eſt, ut humores tales liquati *ſponte elabantur*, cui *paſſivo* elapſui repugnat conſtans ille motus *tenſorius*, qui tam in *tunicis* faucium, quam in *glandulis ſalivalibus* adeſt & talem elapſionem impe-

pe-

pedit: ſi denique *leniora* quædam ſubjecta dentibus comprimuntur & lingua circumvolvuntur, etiamſi *lenior* fuerit actus ille *compreſſorius* & maſticatorius, tunc ob *conſuetudinem* naturæ, qua aliàs *ſub maſticatione* ſaliva *copioſius* intra fauces congeritur, nunc ſimilis *copioſior illius affuſio* contingit: unum verbum adhuc adjiciemus de illis ſubjectis, quæ ob *adverſum* & *nauſeoſum* ſaporem *largiorem* ſalivæ *affuſionem* intra fauces concitant: haud vero *hunc modum* provocandæ evacuationis ſalivalis *probamus*, quia adeo *odioſus* & cum *cardialgicis* & *vomibundis* commotionibus conjunctus eſt: hunc adverſum ſaporem natura & *ſalutari* & *rationabili* conatu e faucibus tanquam organo *guſtus ſemovere* contendit, *prævia largiori* ſalivæ affuſione & *conſequente* ſubjecti *adverſi involutione*, *extenuatione*, *dilutione* atque humectatione, quo eò *facilius* deinde rejici & penitus *removeri* poſſit.

§. VIII.

Alterius ſpeciei *Apophlegmatizantia* remedia ſunt illa quæ mucum ſeroſum è *naribus* educere adjuvant: hæc ipſa vero evacuationis ſpecies *naturæ* aliàs *uſitata* eſt, qua præcipue *caput* ab impuritate *pituitoſa* liberare ſolet, dum ſucceſſive in *glanduloſo-cribroſas* capitis ſuperioris regiones hunc humorem ſequeſtrat & denique ſub *voluntaria* emunctione narium eundem dimittit: interdum etiam *extraordinem* hæc evacuatio augetur frequenti illo *Coryzæ* ſucceſſu, ad quem *internæ* æque ac *externæ* cauſæ contribuere obſervantur; & quemadmodum hæc excretio merito *vitalibus* operationibus annumeranda eſt, qua *ſuperfluæ* aut *inimicæ* & *moleſtæ* cujusdem materiæ remotio perficitur, eoque ipſo corporis *commodum* promovetur, ita hunc actum *non corporis* efficaciæ, *non materiæ* excrementitiæ qualitati, neque *cauſis externis* quoad *principale* ſui directorium, ſed *naturæ* humanæ iterum adſcribo; *cui intereſt*, quo corpus ſit *purum* & *cui incumbit*, quo corpus *læſum* & *impurum*

repurget & defendat: & hæc eadem excretio vario *artificiali* modo provocari poteſt, & quidem in illo caſu ubi natura eandem *ſegnius* adminiſtrat, aut plane intermittit, aut ubi neceſſitas urget, quo eadem paulo *largius* ſuccedat; in qua neceſſitate *diverſa adminicula* adhiberi poſſunt: ê quibus *uſitatiora* illa ſunt, quæ *nares* ſenſibili quodam *ſtimulo* afficiunt, aut quæ *citra* eximium talem *irritationem* easdem tamen *moleſtant*, aut quæ *humores* in naribus efficaciter & repente *colliquant* atque *reſolvunt*: & *triplici* hoc modo haud *ſolum* medicamentum operatur, ſed *naturæ* ſuperiori *concurſu* illud indiget; interim neque *natura ſola* operatur, ſed *remedii efficacia* etiam perpendenda & concilianda eſt: remedium enim vel *ſubtiliter* & *ſenſibiliter* nares *vellicat* & quidem *ſalino-ſulphurea* ſua *acrimonia*, quale medicamentum vulgo *Errhini* nomine venit, quod cum ſubtilibus moleculis ſeſe *porulis* ſubtilis narium *membranæ* ſeſe *inſinuat*, adeoque *tenerrimè* nares afficit: pro hiſce materiis *ſtimulantibus* averruncandis, *natura* intra nares *copioſiorem pituitam* affundit & cum hac *acre* hoc remedium *eluit*, *diluit*, *involvit*, illius *acrimoniam hebetat*, è porulis, quibus ſe inſinuavit, *abſtergit*, partem ipſam *humectat*, quo *minus ſenſibiliter* ab hoc remedio offendatur, quin denique tota hæc pituitoſa *colluvies* ſub *conſtrictione* tunicæ *interioris narium* expreſſa, ſine ulteriori commotione imprimis *ſternutatoria*, educi poteſt: aliàs quidem *naturæ familiare* eſt, ſi *ſua ſponte* talem *excretorium* actum ſuſcipit, ut materiam *excernendam*, ſufficienter quidem *mobilem*, facilè & expedite excernat, quæ vero ſi *ſpisſior* fuerit, neque excretioni facile *obtemperet*, ab eadem quantisper *præparetur*, & ſpontaneis *ſternutationibus* concutiatur, quo paulo *fluidior* & *mobilior* evadat & denique excretioni ſubordinandæ *facilius* obediat: *quædam* horum *Errhinorum* remediorum *illam* efficaciam habent, ut humores, in naribus contentos, intimius *reſolvant* & colliquent, quos deinde *natura*

ra in hac *promptiori* ſua mobilitate & *fluiditate* eo lubentius atque *facilius* exprimit & excernit, qui aliàs ad excretionem deſtinati ſunt: dantur etiam talia *remedia* quæ ad *excretionem* & repurgationem narium contribuunt & *Ptarmica* vulgo vocantur, & à ſua denominatione *ſternutationem* cauſantur: *hic motus* vero non adeo *confuſus* & turbulentus eſt, ſed perinde ad *illum ſcopum* deſtinatus, quo *tale* remedium, quod utplurimum *pulverulentum* eſt, adeoque nares *moleſtat*, elidatur & *excutiatur*; ſiquidem *craſſiori* hac *commotione* pulverulenta talia *craſſiora* remedia paulo facilius *exturbari* & projici poſſunt, quam ſi tantum *eluantur*: interim *plurima ptarmica ſimul* ſunt *errhina*, ut propterea *ab intra* humores *pituitoſi* copioſius ad nares convehantur & mediante *ſternutatione* tali eo promptius removeantur & evacuentur: interea contingit, ut hac ratione *corpus* ab humoribus *moleſtis* pituitoſis *liberetur* & repurgetur, quando evacuatio hæc *artificioſa* methodo paulo *copioſius* provocata fuit: ita etiam interdum contingit, ut citra *operoſæ* artis concurſum ſub *communibus* viciſſitudinibus vitæ humanæ excretio talis per *ſimpliciſſimas* cauſas provocetur; id quod accidit, ſi pulverulenta *ſabuloſa* copioſius inſpirantur: neque oblivioni tradenda eſt *illa methodus*, qua fæminæ infantibus excretionem, humectationem & *aperturam narium* promovent & conciliant, quando *ſpiſſior* muciditas *interiores* nares *obſtruxit*, ubi per *inunctionem* cum butyro aut *pinguedine narium* radici adhibitam ſuccurrunt; modus operationis idem eſt, ac ille qualem de promotione *alvinæ* excretionis & *expectorationis* per *topicum* pinguium uſum in *præcedentibus* animadverſionibus prædicavimus & deſcripſimus: quin denique ſimpliciſſimum experimentum eſt, quomodo per qualemcunque *internam* narium *vellicationem* hæc ſpecies evacuationis promoveatur, dum ad *titillatoriam moleſtiam*

lenien-

lenienda m humores *largius* affunduntur & ad *adverſum* hunc *ſenſum* abigendum, *ſternutatio* adminiſtratur.

§. IX.

Cum hactenus de diverſis *anotericis* evacuationibus ſermo inſtitutus fuerit, mox in ordine placet SALIVATIONIS mentionem facere & illius *modum fiendi* & ſuccedendi exponere: pro meliori hujus conſiderationis intellectu non alienum erit brevibus ſignificare, quænam circumſtantiæ in *ſpontaneæ* ſalivationis negotio occurrant, ubi notandum eſt, quomodo in Se & Excretione ſalivæ *ordinarie* quidem *natura* occupata ſit, dum hic actus *vitales* ſuas utilitates habet, propterea que *oeconomiæ naturæ* ſubjectus eſt: neque quidem alias naturæ familiare eſt in *ordinario* ſtatu *impuritates* quasdam cum ſaliva movere, *commiſcere* ſe & *excernere*, interim neque etiam inuſitatum ipſi eſt, in *extraordinario* ſtatu *alias* materias cum ſaliva confundere & tractare, imprimis vero *tenuiores*, quæ *ſubtilitati* materiali & *fluiditati* ſalivæ non contrariantur, ſed quoad utramque qualitatem cum eadem *conveniunt:* neque etiam inauditum eſt, quomodo in *extraordinariis* caſibus aliquando *ſua ſponte* natura *largiori* quantitate ſalivam intra glandulas ſuas congerat & copioſius etiam egerat; ut nihil dicamus de celebri illo *criticorum ptyaliſmorum* documento: in quibus ſingulis paſſibus neque *ſaliva*, neque hujus *loca* ſecretoria pro cauſa *principali* & *efficiente* accuſari & ventilari poſſunt, quoniam ſingularis hujus operationis *directio altioris* indaginis & capacitatis eſt, præcipue cum *ſubtilitas* ſalivæ ipſam *ultimam* excretionem non abſolvat & *paſſivi* hujus humoris *lapſus* non facile *demonſtrari* & vindicari poſſint; eapropter primam hanc & *fundamentalem* veritatem præmittimus, quod in *ordinario* ſtatu œconomiæ vitalis ſalivatio *à natura* pendeat & non *à corpore* & *humore:* interim reſpectu hujus *humoris* requiritur, quo in ipſo ſufficiens *fluiditas* adſit, ne

ex-

excretioni *reſiſtat*: hinc etiam contingit, ut, ſi humores ſalivales *attenuantur* & mobiliores redduntur, ipſa *ſe* & *excretio* ſalivæ *promptius* ſuccedat, aſt *citram* aliquam *neceſſitatem* phyſicam & mechanicam, quoniam ob cauſas *easdem* phyſicas & mechanicas *fluidior* talis ſaliva nihilominus in ſuis excerniculis hærere & *remanere* poſſit: unde nobis nimis *craſſus* ille videtur conceptus, quaſi *mobilior* ſaliva *ſponte* è glandulis ſuis & aptis ductibus aut porulis affluat: imo memori mente tenendum eſt, quomodo ipſa *animi pathemata* in *motum* ſalivæ eminens & evidens *dominium* habeant; quemadmodum ſub *nauſea largior* ſaliva intra fauces profluit, haud vero ita *confuſe* & & tumultuarie, ſed ad *promotionem* imminentis *vomitus*; non minus ſub *deſiderio*, laſcivo & luxurioſo *appetitu* eadem ſaliva *copioſius* ad fauces affluit: neque hoc tantum, ſed conſtant exempla & documenta, quomodo per *animi pathemata* ipſa *craſis* ſalivæ alteretur, teſtimonio *iracundiæ*, ſub qua tam ab *hominibus*, quam à *brutis* animalibus excreta & communicata ſaliva, varia *damna* cauſari ſolet: ita ſimile exemplum occurrit, quando *nutrices iracundæ* infantibus pulpamentum, quod antea *in ore* quadantenus refriguerant, ſed eo ipſo cum *ſaliva* ſua iracunda imprægnarunt, præbent, ex quo ipſi variis incommodis *torminoſis* & inquietudinibus ſubjiciuntur: ex quibus phænomenis, ſatis manifeſtis, teſtamur, quantam *capacitatem* habeat *anima* hominis in *motu* & *craſi* ſalivæ alterandis: quando etiam contingit ut aliæ materiæ, ſive bilioſæ, ſive alterius ſpeciei ſalinæ *per accidens* ſalivali humori ſeſe *aſſociaverint*, tunc eadem ſub hoc *connubio* una cum ſaliva excernuntur, teſtimonio *ictericorum*, *quartanariorum*, *ſcorbuticorum*, *venereo* contagio infectorum, alioque morbo maligno laborantium: neque contemnenda eſt illa obſervatio, quomodo *infantibus* cum *dentitione* concurſans *largior ſalivatio* æque teſtimonium perhibeat, quod

hæc excretio non à nudis *turbulentis* & morbidis *ſpaſmis* pendeat, ſed perinde ſub *directione* & applicatione *naturæ* conſiſtat, quæ cum hac ſalivatione peculiarem finem proſequitur, dum dentitionem *facilitare* & *dolores* in gingivis *lenire* & demulcere contendit: minime enim *nudi* ſpaſmi ſatisfaciunt effectibus ſalivæ *excretoriis*, cum *indifferens* ratio & *relatio* ſit *ſpaſmorum* ad infarctus, *retentiones* & excretiones; proinde hæc ſalivæ *largior* affuſio aliquam *utilitatem* involvit; *ſpaſmi* vero *a morbo* deducuntur; unde a cauſa juxta hypotheſin *morbida* & effectu *pernicioſo* vix *ſalutaris* conſtans eventus deduci poteſt, ni in ſubſidium hujus opinionis quædam *ſupponere* neceſſitas cogat.

§. X.

Et ſecundum has præmiſſas *fundamentales* animadverſiones, nunc ad *ſpecialiorem* hanc explicationem progrediemur: ex illis vero *remediis*, quæ ad *artificioſam* Salivationis provocationem inſerviunt, vix aliud notius & uſitatius eſt, quam *mercurius*, de quo ex ipſa *obſervatione* conſtat, quod præcipuè in humores *ſeroſos mucido-lymphaticos* operetur, eosque *colliquet*, reſolvat, abſtergat & ad *ſe* & *excretorias* functiones *præparet*: quis vero ſit *modus*, quo *mercurius* in hos *humores* operetur, adeo exacte non conſtat, niſi ad *ipſius mobilitatem* & *penetrabilitatem* tantisper provocare liceat, qua humores ſpiſſiores afficit & diſſolvit: interim ille *defectus* atque nævus *vulgo phyſicam* noſtram doctrinam premit, quod *relationum materiarum inter ſe invicem* ſpecialiſſimæ cauſæ nos communiter *lateant*, licet quædam etiam illarum pateant: illud interim negari non poteſt, quod *facti* eſt, uti poſt *congruum* mercurialium uſum innoteſcit, quomodo prædicti humores magis *alterentur*, tali quidem ratione, ut iidem humores deinde *facilius evacuari* poſſint; unde eo ipſo iterum colligere licet, quomodo *mercurialia* illos humo-

res

res *liquent* & reſolvant, imprimis cum *excretio*, quæ ſub certis circumſtantiis mercurialium uſum *conſequitur*, non ſpiſſa, ſed *tenuis* exiſtat: quando itaque in affectu *venereo* humores lymphatico-ſeroſo-ſalivales mucilaginoſi cum inquinamento *ſalino* fermentativo *venereo* commixti & exinde in *ſpiſſiorem* conſiſtentiam converſi ſunt, tunc remedia mercurialia hoſce humores *diſſolvunt*, ut nunc venereum *ſubtile* miaſma tenerius cum humore *ſalivali* fermentativo *confluens*, cum ſaliva tanquam ſubſtantia ſe-& excretoriæ functioni ſubmiſſa evacuetur: illud tamen adhuc notari debet, quod contagium venereum *primario* in humores *ſpermaticos* & deinde in illos, qui ſperma *conſtituunt*, quales ſunt *lympha* & *ſaliva*, operetur: ſi itaque hoc miaſma *venereum* cum *lympha* & *ſaliva* propius convenit, *lympha* vero *nullis excretoriis* motibus in *ordinario* vitalitatis ſtatu eſt obnoxia, *ſaliva* contra *indies excretoriis* talibus commotionibus expoſita eſt, ita etiam contingit, ut hoc *venereum* miaſma cum ſalivali humore, fluidiori & tractabiliori, nunc commoveatur & ad ultimam *excretionem* promoveatur: interea tamen remedium *mercuriale*, ſive *intrinſecus* ſive *extrinſecus* exhibeatur, ultra *phyſicam* ſuam poteſtatem *nihil* operatur, dum tantum inquinamentum *venereum*, aut interdum etiam *ſcabioſum* & *ulceroſum* a reliquo lymphæ *commercio colliquationis* & diſſolutionis effectu *abſtergit*, quod deinde cum reliqua ſeroſorum & ſalivalium humorum *colluvie* confluit & poſthac à *natura* peculiari & *extraordinaria directione*, in illas partes *largius* transfertur, quibus *aliàs* in *ordinario* ſtatu ſaliva tractari, *ſecerni* & excerni ſolet; unde nunc *ſaliva* cum *venereo miaſmate* largius commixta & inquinata *copioſiori excretorio* effectu proſcribitur, quippe quæ utræque ſubſtantiæ, tam *ſalivales*, quam *venereæ* in præſenti ſtatu malum augent; unde in hac *ſocialitate rationabili* inventione & *ſalutari* executione eliminantur: &

ſub hoc *nexu* ſubtili ratione mercurius, qui hactenus in corpore *phyſicas* ſuas operationes præſtitit, *excernitur:* haud tamen convenit *largius* mercurialia remedia ingerere, alias *nervis infenſa* fiunt & varias *noxas* pariunt: & quamvis mercurialia remedia partes *glanduloſas intimius* penetrent & efficacius *aperiant*, attamen neque hoc adminiculum propterea ſalivationem *abſolvit*, nam *apertio* glandularum eſſet *univerſalis*; quî itaque exinde *particularis* talis *excretio* provenire debeat? nam ex illa ratione quaſi mercurius glandulas & ductus aperiat ſequi omnino deberet, quod mercurialia *omnes* evacuationum ſpecies *provocare* debeant, neque *ſingularem* relationem ad humores *ſeroſos*, *ſalivales*, *lymphaticos* habeant: & licet iterum conſentiamus, quod mercurius ob diſcretam ſuam *mobilitatem* partes poroſas & *glanduloſas facilius* penetret & aperiat, tamen *ſingulari* ratione & conſideratione inducti, hoc problema ſolvendum & decidendum proponimus: drachma una aut altera *ſucceſſive* adhibita *ſalivationem* cauſatur: quæritur quænam ſit *proportio duarum* drachmarum ad *totum* corpus, & an hæc quantitas mercurii oblati *ponderoſitate* ſua corpus & glandulas *aperiat:* quod problema non facile ſolvi poterit, ni varia *ſupponantur*, contra quæ tamen multa dubia, ſatis ſontica & luculenta proponi poſſent: neque denique provocatio ad *ſal* & *ſulphur* mercurii, pro hoc modo operandi mercurialium ſatisfaciet: cum adhuc *peculiares* reſpectus perpendendi ſint, quando remedium *mercuriale* ſive per *Sal* ſive per *Sulphur phyſicos* ſuos effectus præſtitit: & cum inter *chymicos* valde *dubium* ſit, an mercurius ſit in ſua eſſentia *ſalinum*, an *ſulphureum* ſubjectum, ita in tantum credimus *ſuſpendendum* eſſe judicium, cum ex *dubiis* principiis & *præmiſſis*, nullæ *veræ concluſiones* formari poſſint: ſuffecerit in re tam *abſtruſa* effectus potius *ſimplices* & *indubios* annotare & illos deinde ad *rationabilem* theoriam appli-

applicare, quoniam ex *eſſentiis* rerum nullæ patent demonſtrationes, dum rerum *eſſentiæ intellectum* noſtrum *fugiunt*, neque etiam ad *effectus ſubſtratos* explicandos, *primariò* & ita quidem ſpectant, prout impræſentiarum intellectui humano quadrat.

§. XI.

Progrediemur nunc ad certas ſpecies *Evacuationum Seroſarum*, quæ per *externa* & quæ magis ad *chirurgorum* forum, quam ad *pharmaciam* ſpectant, excitantur, nimirum ad *Veſicatoria*, quæ abſolute in illum finem abeunt, quo *excretio* quædam conſequatur, & quamvis *primarius* ſcopus, qui cum veſicatoriis intenditur, magis *diverſionem motuum* & *humorum*, quam *imminutionem horum* concernat, tamen veſicatoriorum affectus abſolutè qualemcunque *excretionem* involvit: *operantur* itaque *veſicatoria* remedia *cauſtico* quodam ſale, ſatis potenter *ſtimulante* & *corrodente*; unde *deglutita* talia remedia vehementes cruciatus excitarunt, & tam in *ventriculum*, quam in *vias urinarias*, referente *Bartholino Cent.3. hiſt.16.* intulerunt: id vero hoc loco notandum eſt, quod *ſtimulos* tales, corporis *vivo* inductos, ſingulares *motus* conſequantur, qui cum *effectibus* ſuis exacte conveniunt cum illis circumſtantiis, quæ cum præſenti irritatione connexæ ſunt: etenim *cauſtica* talia remedia non modo in *partibus vivis* dolorem excitant, ſed & ipſam *materialem* conſtitutionem corporis afficiunt atque *arrodunt*: pro utroque *incommodo avertendo*, in relatione ad corpus *humanum*, quid aliter fieri poteſt, *ſi adverſa* talis materia tam ſubito *excuti* & removeri non poteſt, niſi ad *illum locum* ubi *cauſticum* tale remedium hæret, *ab intra humores* copioſius advehantur, quo partim *acre* remedium per *affuſos humores* ſeroſo-*aquoſo*-mucido-lymphaticos *obtundatur* & temperetur, partim *partes*, tam *moleſte irritatæ* leniantur, *demulceantur* & relaxentur

tur; exinde patet quod largior *affluxus humorum* talium *ſalutarem* præ ſe ferat ſcopum: deinde vero ſciendum eſt, quod acria,*cauſtica* & irritantia talia remedia *per ſe* humores hoſce *adducere* non poſſint,cum nulla *phyſica* ratio reddi poſſit, quomodo *veſicatoria* remedia humores *ſeroſo-lymphaticos attrahere* debeant queantque, niſi multa irrita pro tali theoria ſupponenda eſſent: neque etiam illa ratio pro demonſtratione ſubminiſtranda quadraret, quaſi *acria* talia ſubjecta partes eo usque *ſtimulent*, ut *conſtrictione* ſua humorum *ſeceſſiones* & *collectiones* efficiant; quoniam *nuda* partium *conſtrictio* tantis humorum *collectionibus* non ſatisfaceret, quæ potius reſtrictionibus & *retropreſſionibus* humorum quadraret: quoniam vero rectius illa *conſecutio motuũ* & *effectuum* poſt veſicatoriorum uſum obtingens, *rationabilem* cauſam involvit, hinc concludimus, quod *veſicæ* tales minimè *fortuitis ſtagnationibus* & *ſtaſibus* humorum imputandæ, ſed particulari *naturæ* activitati adſcribendæ ſint; hæc enim *propter* remedium *cauſticum* corpori *vivo* & *ſenſu* inſtructo oblatum & adhibitum *eo* humores tales *largius* affundit, *ubi* tale remedium *hæret*, quo ulterior *noxa*, ab hoc ſubjecto expectanda, *avertatur* & *invertatur*: inde etiam eſt, cur *veſicatoria* talia remedia in corpus *exanimatum* ſive cadaver humanum *non* amplius *operentur*: & meretur hoc loco allegari judicium *Helmontii* quando *tr. de Lithiaſi Cap. 9.* §. 102. & 103. dicit: *quamobrem ad inveſtigandum agens proprium, in dolore, conſideravi, quod ranunculus, apium, flammula &c. non veſicent in cadavere: veſicunt tamen carnem vivam: cenſui itaque quod in ipſa anima ſenſitiva conſiſteret differentia hujus actus & non primario in flammula &c. conf. Miſc. A. N. C. Dec. I. A. 2. obſ. 70. in Schol.* inde omnino concludimus, quod ad veſicatoriorum operationem *ſenſus* requiratur, qui ſenſus vero *non corpori*, ſed *naturæ* competit: prout itaque ſubjecta nunc *magis*, nunc *minus ſenſibilia* ſunt, ita

veſi-

veſicatoria remedia nunc *citius* & *efficacius*, nunc *tardius* & *debilius* operantur; inde etiam ex abundanti *experientia* chirurgis innotuit, quod quædam ſubjecta *in cute* præ aliis longe *ſenſibiliora* exiſtant: quare exempla proſtant hominum, qui ex ſimpliciſſimi *emplaſtri* applicatione *veſicas*, imo *inflammatorias* invaſiones experiuntur: ubi fruſtra erit vel ſolam *impeditam* transpirationem inſenſibilem pro cauſa allegare, cum in ſubjectis *tenerioris* & *denſioris* corporis, *minoris* tamen *ſenſibilitatis* idem effectus non obtingat: Dum vero *propter* externam applicationem *acrioris* & cauſtici ſubjecti humores *copioſius* advehuntur, tunc in *intimiorem ſuperficiem* corporis fluidiores materiæ *aquoſæ*, ſeroſæ & lymphaticæ affluunt & cuticulam à cute *eliquatoria* efficacia ſeparant, quo ad minimum *cutis* ab *ulteriori acrioris* remedii ſtimulo arceatur: neque etiam conveniens erit *applicatio* veſicarum ex *ambuſtione* concitatarum, ad *veſicas* per *acria* remedia provocatas, quoniam *cauſæ* perquam inter ſe *differunt*: interim non negamus, quod *ſuperficiales* lymphæ & ſeri *ſtaſes* veſicas excitare valeant; an vero *accidentales* tales ſtaſes cum veſicarum geneſi ex remediis *veſicatoriis* proveniente, *commiſcendæ* ſint, merito dubitamus: Ex eodem *fundamento* explicanda erit operatio, qua *rubefacientia* in corpus *vivum* efficaciam ſuam exſerere ſolent: hæc enim cum non *illius potentioris* qualitatis *cauſticæ* ſint, ac *veſicatoria*, interim tamen *ſuperficiem* corporis *ſtimulent*, propterea *non tam intimius* in illam ſuperficiem corporis affuſio humorum penetrat, ſed tantum *in cute* permanet ac ſubſiſtit, adeoque cum nulla ſuperficiali *congeſtione*, cujus *confectarium rubor* & *ardor* eſt, ſeſe prodit: interea & hæc ſuperficialis *ſanguinea congeſtio* ad *remotionem* applicati *adverſi* & *moleſti* objecti & remedii *directa* eſt; quemadmodum aliàs hic *naturæ mos* eſt, quo cum ejusmodi *motibus*

tibus atque *effectibus*, ſeſe *adverſis* & *noxiis* objectis *opponat.*

§. XII.

Hoc ordine etiam mentionem facere lubet, aliarum ſimilium excretionum *ſeroſo-mucilaginoſarum*, quæ per FONTICULOS & SETACEA provocantur: in quarum *excretionum* ſchemate tam *remedia*, quam *natura* cooperantur: quod enim fonticulos attinet, tunc communiter quidem hodienum iidem cum *cauſtico* quodam remedio parantur, quod *ſtructuram* corporis aggreditur & *corrodit*, in quem locum corroſum ſi *ſolidum* quoddam corpus immittitur, tunc affectam partem *amplificat* & *foveam ulceroſam* efficit, ad quod *artificiale* ulcus, tanquam ad locum cum *irritatione* quadam *ſenſibili* apertum, impoſterum humores *diriguntur* & ex eodem effunduntur: haud tamen adeo nude *paſſive* tales humores ex fonticulis *elabuntur*, quoniam aliquando *acceſſus* humorum ad illos adeo *præcluditur*, ut fonticuli quaſi *exſiccentur*, deinde quoniam alia occaſione *largior* aditus eorundem humorum *ad illos* conceditur; ut &, quia particulares *ſanguineæ congeſtiones*, quæ cum *animi pathematibus* & *periodicis Hæmorrhagiis* conſpirant, ad eosdem fonticulos *diriguntur*; quo adhuc illa notatu digna circumſtantia pertinet, quomodo ad *alia ulcera* plane *ſingulares* commotiones concurrere obſerventur, quæ neque *materiæ peccanti*, neque *corporis diſpoſitioni* adſcribi poſſunt; unde concludimus, quod excretio ex Fonticulis continuans magis *naturæ*, quam *corporeis* qualitatibus adſcribenda ſit, quæ natura propterea, ſi in hoc actu excretorio *ſegnior* exiſtit, eo *excitari* poteſt, ſi *intra* fonticulum *ſtimulantia* remedia adhibentur, quem *ſtimulum* deinde natura *ſequitur* & ad fonticulum *copioſius* humores advehit: quod vero in *fonticulorum* tractatione & directorio *naturæ activitas* obſervanda ſit, teſtatur etiam *ſingularis* illa circumſtantia, quomodo

modo in ſubjectis *plethoricis*, quæ alias *ſanguinis* commotionibus *translatoriis* & *eluctatoriis* adſueta fuerunt, eædem *commotiones* ex levi cauſa *impulſæ* ad *fonticulum* tendant; ſicut exempla conſtant, quomodo *fonticuli* in fæminis ex *Menſium turbis* cacochymicis redditis excitati, cum *menſtruis* etiam temporibus atque *recurſibus* majori *rubore*, *ardore* & *dolore* afflicti fuerint: quamvis enim *apertio cutis* in tantum ad hanc excretionem aliquid conferat, ut *evacuatio* extra fonticulum eo *facilius* ſuccedere poſſit, tamen hæc læſio continui non *abſolvit* totam *formam* hujus excretionis, quoniam nunc evacuatio talis *citra culpam* alicujus *materialis* reſpectus *augeri*, alibi vero *minui* poteſt & ſolet: inde eſt cur fonticuli ita *promiſcuè* conſolidati tanta *damna* cauſentur, cum *conſuetudini* circa hanc excretionem acquiſitæ eximia *alteratio* & vis inferatur; licet in *humore*, qui nunc *retinetur* vix tanta *pernicies* ſupponenda ſit: ſed cui conſtat quantæ alterationes ex *motuum vitiis* prodeant, ille non tam anxie *materiarum* accuſationi operam dabit, dum ſæpe *illæſa* etiam *materia* eximii gradus & valoris *morbi* inſultare & vexare queant: Et quid notius eſt, cum hæc veritas clarius illuceſcat in *Setaceorum* modo operandi: hæc enim magnum *dolorem* parti inferunt, dum huc illuc trahuntur, quæ *craſſa* eſt & *torturæ* ac tormenti nomine digna offenſio, quam *largus* humorum *affluxus* proſequitur, qui eum ob finem ad partem affectam *a natura* advehitur, quo eædem partes *leniantur*, relaxentur, demulceantur & *ſenſus doloris* hebetetur ac *temperetur*; tantum enim & non plus *ex ſua efficacia* in tali afflictione *natura* operari poteſt, cum in ipſius *viribus* non ſit, per *motus vitales* ſetaceum *removere*; id vero *poteſt*, quo ad *dolentem* partem *humores aptos* transferat & *tales* quidem humores, qui per *aquoſam* & *mucilaginoſam* ſuam indolem, *dolentem* partem *leniunt*, elubricant, relaxant & emolliunt, cum æque facile paulo *inti-*

mius ſanguis eo congeri poſſit, qui vero ſub *intenſiori* congeſtione dolores magis *augebit*, quam mitigabit: quod vero in hac occaſione & neceſſitate non *ſanguis* tam *intime* congeratur & detineatur, ſed *conveniens* talis humor ſequeſtretur, non *corpori*, ſed *naturæ* adſcribendum eſſe judicamus, præprimis cum per ſolidas & nudas rationes *phyſicas* demonſtrari non poſſit, quomodo ſetacea *tales* humores *allicere* & attrahere poſſint, ni merito *ſtimulus* concurſans accuſetur, qui tamen *alterius* fori eſt, neque ad *nudè phyſicam* contemplationem pertinet: quare facilè liquere poteſt, quomodo in ejusmodi evacuationum ſpeciebus *natura* occupata & *activa* exiſtat.

§. XIII.

Variarum hactenus Evacuationum mentio facta fuit, ſed cum adhuc una alterave ſpecies excretionum in mentem incidat, illarum etiam reminiſci lubet: inter has evacuationes vero occurrit VERMIUM EXPULSIO, quæ in medicina Practica ſatis ſæpe *utilis* & *neceſſaria* eſt: evolvemus itaque illum *modum*, quo ſic dicta ANTHELMINTHICA remedia operantur: pro hoc modo rite agnoſcendo notare convenit, quomodo *vermes* in corpore animali *vivo* abſolute *præter naturam* lateant, adeoque *adverſum*, *inutile* & *moleſtum* objectum conſtituant, quibus vermibus propterea *extrudendis* ipſa *natura ſpontanea* activitate ſatis ſæpe operam dat; & eo collimant tot *motus colici*, tot conatus *vomibundi*, tot dejectionum *alvinarum* inſultus, tot *torminoſæ* & conſtrictoriæ commotiones in abdomine, tot largiores affuſiones *ſalivæ* &c. quippe qui ſinguli *apparatus* ad *excretionem* aliquam contendunt: etenim cum vermes non modo in corpore *vivo* plane *inconvenientes* ſint, dum *nihil* quicquam *utilitatis*, aut *neceſſitatis* ad vitam conferant, ſed & ipſum corpus *ſenſibile* offendant & *morſibus* ſuis *irritent*, quid magis *rationi convenire* poteſt, quam ut ejusmodi *adverſum* objectum

ctum *expellatur*; dum vero vermes nunc in *inteſtinis* hærent, tunc *rationi* omnino convenit, quo *motus*, ad *alvinam* excretionem ſpectantes, *augeantur*, ut eo *efficacius* vermes, qui ægrius *antiquam* ſedem mutant aut deſerunt, *expellantur*, hinc interdum etiam *ſua ſponte* vermes dejiciuntur: ſed cum hi inteſtinorum *plicis* utplurimum firmiter *inhæreant* & morſibus ſuis ſeſe ultro intra inteſtina *obfirment*, ita mirum eſſe haud debet, cur ejusmodi inſultus *torminoſi* ſæpius *vani* ſint & ſuo ſcopo deſtituantur: ob id interdum *motus* inteſtinorum magis *augeri* debet, quo vermium *reniſus* ſuperetur & cum *præſtantiori* vi & efficacia ſubjugetur; interdum etiam iidem vermes antea *enecandi* aut *enervandi* ſunt, quo deinde eo *citius* & facilius *expelli* poſſint, ne tantis *reſiſtendi* viribus polleant: inde etiam contingit, ut ſi *prius* vermes *interfecti* ſunt, tunc vel *ſua ſponte natura* illorum excretionem perficiat: exinde facile colligere & intelligere licet, quomodo *acria*, *amara*, *ſalina*, *terrea*, *calcarea*, *ſapida*, valde *acida*, vermium excretionem adjuvent, dum omnia hæc *ſapida* ſubjecta *teneram* vermium texturam *moleſte* afficiunt, vellicant, *colliquant*, eoque ipſo vermes eo usque *vexant* & torquent, donec vel ad extremum *infirmentur*, vel plane *enecentur*: quo facto deinde *natura* vel cum *conſveto motu*, alvinam excretionem abſolvente, hos vermes *eliminat*: eo *citius* & *efficacius* vero hoc conſequitur, quando vermes cum poſitivis *purgantibus* profligantur, quæ non modo ob principia ſua *acria*, tam *ſalina*, quam *ſulphurea* & *reſinoſa* vermes *interficiunt*, ſed & dum excretionem *alvi* potenter excitant, eosdem vehementius *exturbant* & uno impetu excutiunt: *mercurialia* vero remedia non tam per principium *ſalinum* operantur in vermes, cum vel ſolus mercurius, cum aqua aut cerevifia ſecundaria decoctus, vermium *excretionem* promoveat; unde ille potius propter *colliquantem* ſuam qualitatem *anthelminthicis* remediis

accenſendus eſt; hæc enim mercurialia remedia humores imprimis *mucilaginoſos* penetrant & diſſolvunt: quia vero vermium *textura* utplurimum in *tenui mucilagine* conſiſtit, ita hæc remedia vermes colliquant, eoque ipſo illorum *excretionem* præ aliis remediis efficaciter adjuvant: inde etiam contingit, ut poſt *mercurialium* uſum vermes *diſcerpti* & diſſoluti evacuentur: quomodo vero *mercurius* humores *colliquet*, an per ſal, an per ſulphur, de eo litigant adhuc chymici; quia itaque hæc deciſio admodum *controverſa* & *dubia* eſt, propterea *ex eadem* non placuit hunc *modum* operandi *mercurii* in *vermes* deſcribere, ſed ex *effectu* magis *manifeſto* & demonſtrativo: conferantur quæ de efficacia mercurii ad exturbandos vermes *Joh. Bettus in Tract. de Natura Vermium & Lumbricorum Cap. I. Sect. 3. §. 6.* proponit, qui nobiscum in præſenti conſideratione certo reſpectu conſentit: à quibusdam remedia ex *cupro &* ferreo parata adverſus *vermes* ordinantur, quæ tamen non admodum *ſecure* operantur, licet vermes quidem alterent; priora videlicet *ſalino-terreo* ſuo principio, quo aliàs valde *nauſeoſa* ſunt, poſteriora vero *acuminatis* ſuis moleculis in ſola *limatura martis*, aut *ſalino-terreis* ſuis particulis in *croco martis* operantur & vermes perinde *vellicant* atque vexant: dantur etiam *anthelminthica* remedia, quæ ab *extra* adhibita operantur, ut ſunt *amara* ex *abſinthio*, *Zedoaria*, *colocynthide*, *bile*, *aloe* parata, quæ *abdomini* applicata *alvinas* dejectiones cauſantur: unde asſerimus, quod hæc remedia *catharctico* magis effectu operentur, quam ut credere debeamus, quod particulæ *amaræ* per *cutim*, partes *muſculoſas* & diverſas *membranaceas* demum *intra inteſtina* hanc ſuam *amaritiem* transferre & vermibus inferre debeant: cum potius ille effectus *catharſeos* ſubſequentis potentiori *colliquationi* & reſolutioni humorum adſcribendus ſit: de qua conſideratione in primo

mo hujus Thematis ſpecimine, ubi de *catharcticis* actum fuit, ſermo occurrit.

§. XIV.

Non inutilis labor erit, ſi hoc ordine de *Evacuationibus* EXANTHEMATUM brevem ſermonem inſtituimus, inſuperque inquirimus, *quomodo* hæc excretio ſuccedat: alias quidem notum eſſe debet, quod exanthematum *translatio* in *ſuperficiem* corporis, non nitatur *materiæ* malignæ *qualitate*, aut *relatione phyſica* ad ſuperficiem corporis, quoniam interdum hæc materia *plane non* pervenit in *periphoriam* corporis, aliquando etiam *ſubtiliori* modo *tranſpiratur*, ut in illa peripheria non *ſubſiſtat*, nonnunquam ex hac ſuperficie iterum *ad interiora retropelli* poteſt, quandoque etiam *juſtis* temporibus atque *diebus* in eandem peripheriam ſeponitur: viciſſim vero conſtat, quomodo hæc *materia*, quæ *exanthemata* conſtituit, valde *pernicioſa* ſit, quæ tanto magis *nobilioribus* & *tenerioribus* internis partibus extremam *noxam* infert, unde & *rationale* & *ſalutare* conſilium eſt, quo hæc materia *excernatur*, eo magis *rationale* eſt, quo hæc *noxia* materia à *nobilioribus* in *ignobiliores* regiones transferatur, ſicut in comparatione ad *interna* viſcera *ſuperficies* corporis omnino *ignobiliorem* regionem conſtituit: hiſce circumſtantiis collectis & bene ponderatis, vix ullam *ſolidam rationem* habebit aſſertio, quaſi hæc materia *fortuito* in peripheria corporis obhæreſcat aut *captetur*, vel quaſi hæc materia talem *convenientiam phyſicam* cum *poris* cutis habeat, ut in hoſce delata, ibi *obhæreſcere* & ſubſiſtere *debeat*, vel quæ adhuc *craſſior* opinio eſt, quaſi ex *accidenti* hoc fiat, ut, quando hæc *materia* ſub *circuitu* ſangvinis ſufficienter *agitata* & *attenuata* eſt, denique in *teneriorem cutem* transferatur & hoc ita ex aliqua *neceſſitate* fieret; unde etiam hanc *confuſam* commotionem & *mere morbidam* aut *noxiam* humorum agitationem *ſalutarem* hunc effectum & eventum conſequi: *Deum*

 enim

enim hæc *ita poſuiſſe* & *voluiſſe*, quo hæc *ita fiant*: quis non rectius agnoſcat, quod *ſalutaris* hæc exanthematum effloreſcentia non tam *crudis* cauſis & *fortuitis* eventibus nitatur, ſed quod ob *eſſentialiter* conjunctam *rationalitatem* & *ſalubritatem* hic actus non *corporeis* affectionibus, ſed *rationabili principio* adſcribendus ſit, adeoque *à natura* humana pendeat, quæ ſubinde per eundem actum *medicatricem ſuam* functionem obteſtatur: inde etiam evenit, ut *natura libere* atque promptè hanc evacuationem abſolvat, modo ab *externis* cauſis non *impediatur:* etenim ſi propter tales cauſas (ut de internis hoc loco non diffuſius diſſeramus) peripheriam corporis *occludit*, tunc in eandem *pravam* talem materiam *ſeponere* haud poteſt: nam quando *in ſuperficiem* corporis aliquid *transferendum* eſt, tunc etiam *neceſſe* eſt, quo illa *permeabilis* atque *aperta* ſit; hæc apertura vero eidem conciliatur per *congruam tonici* motus adminiſtrationem, qui motus ſi *nimium* intenditur & in *ſtricturam* aliquam convertitur, tunc magis peripheriam corporis *occludit* & aditum atque *ingreſſum* humorum *intercipit:* hic motus *tonicus* utpote motus *abſolute vitalis*, non *à corpore*, ſed *à natura* pendet; ita *variis rationibus* demonſtrari poteſt, quod exanthematum *excretio naturæ* dominio & *directorio* ſubjecta ſit: & quo hæc effloreſcentia *facilius* ſuccedat præter neceſſariam peripheriæ corporis *apertionem* etiam requiritur *ſufficiens* materiæ peccantis *abſterſio* & liberatio è reliquo *vinculo*, quod cum *ſanguine* habuit, ut ita *ſeorſim* ſeponi poſſit; deinde huc ſpectat ſufficiens *translatio* hujus materiæ *in eandem* ſuperficiem corporis, quoniam ex *motuum* interdum vitio hæc materia *retineri* poteſt & ſolet; in quibus concurrentibus requiſitis perinde *natura* illa *ſuperior* cauſa eſt, cui operationes tales adſcribi debent.

§. XV.

§. XV.

Præmiſſa hac conſideratione, nunc ad *ſpecialiorem* applicationem progredimur: & quidem notandum, quod *moderatum* regimen ad exanthematum malignorum *efflo-reſcentiam plus*, quam ullum aliud conſilium & auxilium conferat, hoc *modo*, dum natura in ſuo opere non *turba-tur*, adeoque *libera* & *ſimplici* methodo hoc officium exequitur; etenim ſi ab intra motus *auget*, aut ſi ab extra *tonum alterat*, vix facilè hæc excretio *ſcopum* ſuum aſſequitur: multum vero ad *congruum* motuum ſucceſſum *hoc regimen* contribuit: quapropter *æſtuoſum* & *rigoroſum* regimen ad *nimiam* materiæ peccantis *diſperſionem*, aut immoderatum *impulſum* intra reliquam ſanguinis maſſam & *mixtionem*, ſatisfacit; inde etiam evenit, ut exanthematica talis excretio vel *confuſe* vel *impedite* ſuccedat: *laxius* viciſſim regimen, quod connexas *refrigerationes* inducit, ad peripheriæ *occluſionem* cauſandam manifeſtè quadrat: deinde ad exanthematum excretionem multum quadrant *frictiones* corporis, non alio modo, niſi ut ob *ſenſum* cum *caloris*, tum modeſtæ *attritionis* peripheria *relaxetur*, acceſſus & *ingreſſus* humorum *invitetur*, adeoque *naturæ occaſio* præbeatur, quo *hoc tempore* dum in *exanthematica* materiæ peccantis *excretione* occupata eſt, in *hanc ſuperficiem* corporis decumbat & in ſpeciali humorum *directione* eo ducatur: plus itaque tales moderatæ *frictiones* conveniunt, quam *veſicatoriorum* uſus, quæ cum non niſi in *uno particulari* loco operentur, eapropter tam *generalem* excretionem non facile allevant, aut promovent: dum vero *alexipharmaca* & *diaphoretica* temperatiora remedia ad exanthematum *expulſionem* conferunt, non alio *modo* operantur, niſi ut *motum* ſanguinis *a centro* ad *peripheriam* promovere adjuvent, *reſolutionem* & *abſterſionem* materiæ peccantis facilitent & *æqualem* ſanguinis *diſtributionem* concilient: alia *potentiora* diaphoretica, aut plane

ne *volatilia* remedia *impellunt* quidem, uti *totam maſſam* ſanguineam, ita etiam *materiam peccantem*, ſed dum hoc modo ad *præmaturam* aut *impetuoſam* excretionem naturam *urgent*, tantum etiam valent, quo exanthemata *expulſa* ob *irregularitatem* motuum & nimiam *ſubtilitatem* & *mobilitatem* materiæ, citius *retrocedant*, adeoque *fugacia* evadant: quod *acida* nonnunquam remedia aut *abſorbentia* cum *acidis* ſaturata exanthematum evacuationem promoveant, eam ob cauſam contingit, dum *peccans* & *maligna* materia cum hiſce remediis in *mobilem* aliquam conſiſtentiam convertitur, ne *adeo tenuis* & ut ajunt *volatilis* exiſtat, neve propterea motibus *præparatoriis* & *evacuatoriis impedimenta* inferat: etenim *acidorum* & *terreorum* virtus *incraſſans* abunde cognita eſt, per quam ſeſe in *hoc caſu* efficacia præbent: de *ſpecificis* adhuc ſermo habendus erit, quæ videlicet ad *malignorum* exanthematum *expulſionem* commendantur: conſtat nimirum quomodo in *variolis* & *morbillis* diverſæ ſpeciei *ſemina* ad promotionem *principalis* excretionis laudentur, ſed *primo* notandum eſt, quod illorum effectus *adeo certus* & *indubius* haud ſit, *deinde* non aliter ad hanc excretionem promovendam contribuunt, niſi per *ſulphureum* & *mucilaginoſum* ſuum principium, quorum *prius* ad motus progreſſivi *augmentum* contribuit, *poſterius* vero ad *materiæ peccantis* præparationem & *involutionem* concurrit.

§. XVI.

Præter horum malignorum Exanthematum expulſionem adhuc plures aliæ ſpecies *particularium* evacuationum in *ſuperficiem* corporis *dirigendarum* accurſant, quæ magis *chronicis* affectibus annumerandæ ſunt, quæ certis *methodis* atque *remediis* promoveri poſſunt, quomodo vero hæc *remedia* ad horum commotionum & evacuationum *reſtitutionem* in *peripheriam* corporis concurrant, brevibus adhuc circumſpiciendum erit: & ita dantur inter-

terdum *inveterata ulcera*, quæ incongruè *repreſſa* & *exſiccata peſſimas* conſecutiones inferunt, ut conſultius ſit, quo eadem ulcera in *antiquum* ſuum locum *reſtituantur*: ad hanc *revocationem congeſtionis* humorum in ſuperficiem loci *ante hac* affecti, convenit *frictio* in eodem loco præſtita, quæ partim propter *ſenſum* inſolitum, partim propter connexam *relaxationem* illius partis *copioſiorem affluxum* humorum in *illum locum* invitat, ut eo ipſo *intra eandem* partem *natura* denuo ducatur, in qua antehac *extraordinaria* activitate particularem excretionem diu exercuit; unde evenit, ut ex *nova* hac invitatione *affluxus* humorum, denuo antiqua ulceratio oriatur: Familiarius phænomenon eſt, ut *Scabioſa* inquinatio ab extra *introrſum* pellatur, unde interdum *periculoſa conſectaria* imminent, ut propterea & *neceſſarium* & *ſalutare* conſilium ſit, quo hoc inquinamentum iterum in peripheriam corporis transvehatur: ad hanc *reſtitutionem* ſcabiei in *priſtinam* regionem contribuunt præcipuè *alexipharmaca* & *diaphoretica*, quæ motum ſanguinis ab *internis* partibus in *ſuperficiem* corporis excitant, adeoque *in genere* naturam in *illam regionem* ducere adjuvant, *à qua* antea eadem *ſeducta* fuit: imprimis hæc efficacia transferendi ſcabiem in *ſuperficiem* corporis *ſulphuris interno* uſui adſcribitur; *quomodo* vero ſulphur id efficiat *hoc modo* intelligi poteſt, quoniam ſulphur *in maſſa* ſanguinea motu *caloris* agitatum, admodum *attenuatur* adeoque motum ſanguinis *inteſtinum* æque ac *progreſſivum* valde *auget* & ita *in genere* tranſitum humorum in illam *externam* regionem invitat, *a qua* antehac natura repreſſa & *retropulſa* fuit; unde evenit, ut modo in *priſtina* loca promota natura, materiam *peccantem*, quæ *internis* viſceribus longe magis *nociva* eſt, nunc *in illa* denuo *deponat* & ſecundum *priſtinum morem* ex iisdem eliminet: ubi iterum ab illa *craſſa* opinione deſiſtimus, quaſi *in poris* cutis materia peccans *fortuito* incarcere-

ceretur; cum tam facilis *retropreſſio* ad *interiora* hanc *fortuitam* incarcerationem facile etiam revellat, & cum reliquæ conſiderationes, quibus *rationalis* translatio *pernicioſarum* talium materiarum ab internis & *nobilioribus* in externas & *ignobiles* partes, *ſimplici* demonſtratione inculcatur, *veritatem* ſententiæ noſtræ approbent, quod videlicet hic actus *tranſpoſitionis* impuritatum in *ſuperficiem* corporis *potiori* jure & reſpectu *naturæ* competat, licet remedia talia ad hunc actum aliquid *cooperentur*, attamen actualem *reſtitutionem retropreſſarum* impuritatum intra *peripheriam* corporis non *formaliter* efficiant aut abſolvant: eodem modo operatur etiam in ſimilibus caſibus; *fumaria*, *ſuccinum* &c. interim *ille* adhuc *effectus* talium remediorum annotandus eſt, quod in hoc caſu medicamenta *hoc modo* ad hanc *repoſitionem* impuritatum *intra cutem* corporis contribuant, dum *intrinſecus* ſub *circuitu* ſanguinis *aucto* in maſſa humorum *abſterſionem* & reſolutionem talium inquinamentorum adjuvant, ut hæc tanto facilius iterum *excretorio* actui & effectui obtemperent: Quid porro damni inferant retropulſiones *particularium ſudorum*, manuum aut pedum, docet attenta experientia: invitantur vero iterum hi ſudores *in antiqua* ſua loca, quando per *univerſalia alexipharmaca* remedia non modo in genere *diſtributio* ſanguinis in *peripheriam* corporis inducitur & promovetur, ſed & inſimul *generalis diaphoreſis* invitatur, ut eo facilius *natura* cum *particulari* tali ſudore in *antiqua* ſua loca decumbat; quo multum contribuit, ſi per *manuluvia* aut *pediluvia*, vel fomenta manibus aut pedibus adhibita *copioſior acceſſus* humorum *in has* partes invitatur; quo æquali modo *frictiones* harum partium contribuunt, aut ſi per adhibita *Camphorata* in hiſce partibus *pori* antehac conſtricti *reſerantur* & ita in hiſce locis *tranſpiratio conſueta* revocatur: Quid *Inflammationes retropulſæ* efficiant, abunde experientia medica teſtatur; &

cum

cum eædem quoad principalem & formalem ſuam rationem in certa *motus tonici* directione conſiſtant, ita ad *evocandas* has commotiones inflammatorias, non alia conferunt, quàm quæ in *motum tonicum* operantur: quoniam vero *ſenſatio* cum hoc motu arctè *conjuncta* eſt, ita facile liquet ratio, cur *frictiones*, *cucurbitularum cæcarum* applicationes, *rubefactiones*, aut interne adhibita *diaphoretica* ad harum inflammationum *revocationem* in *ſuperficiem* corporis conferant: idem ſentiendum eſt de *ſpaſmorum retropreſſorum* revocatione, in quibus *motus* magis *in illis* locis excitandi ſunt, è quibus ſpaſmi illi retropulſi ſunt, quod eodem *modo* contingit, uti *hactenus* dictum fuit: & cum ſpaſmi frequenter humorum *abundantiæ opponantur*, ita etiam evenit, ut ſi in eundem locum per *balnea* apta humorum copioſior *acceſſus* invitetur, eo ipſo etiam priſtinus ſpaſmorum *reditus* provocetur & adjuvetur.

§. XVII.

Progredimur ad FLATUUM *retentorum* & *occluſorum* evacuationem & quomodo diverſa adminicula hanc excretionem promoveant: antea vero ſignificandum erit, *quomodo* flatus *retineantur*, ut deinde eo magis luculenta ſit demonſtratio modi, quo remedia flatus profligantia operantur: efficaciſſime ad *flatuum occluſionem* conferunt *ſpaſticæ* inteſtinorum ſtricturæ, tanto magis ſi *exitus ani* obrigeſcit, nec non ſi inteſtina *exſiccantur*, aut ſi fæces alvinæ *ſicciores* & *duriores* in inteſtinis hærent, ut & ſi *periſtalticus* motus *irregularis* eſt, dum in *uno* inteſtinorum tractu tonus *laxior* & remiſſior, in *altero* vero *rigidior* & rigoroſior eſt, ut propterea flatus in aliquo inteſtinorum tractu *occluſi* deprehendantur: ob id non ſemper veritati reſpondet, ſi in Theoria *flatulentiæ* nuda & *abſoluta atonia* accuſatur, quoniam ſæpius *irregularis toni* adminiſtratio in culpa eſt, ubi *tonus* quidem *non penitus* deficit, ſed tantum *inordinatè* applicatur: hiſce circumſtantiis adhuc

illa annumeranda eſt, quod in cura flatulentiæ etiam eo advertendum ſit, per quæ *ſubjecta* nimirum flatus copioſius *generari* queant, ut deinde artifex per *remotionem* talium ſubjectorum flatulentiæ *futuræ* & *imminentis* moleſtiam præoccupare poſſit: aſt cum hoc loco ſermo nobis ſit de *flatuum evacuatione*, non acquieſcemus in ultima hac circumſtantia: quod vero omnium optimè *clyſteres lenientes* flatus educant, *variis modis* contingit: dum partim *alvum aperiunt*, inteſtina *leniunt*, ſcybala *emolliunt*, partim *ſpaſticam* ſtricturam inteſtinorum *mitigant* & ſub apertione alvi *inverſam* periſtalſin iterum *in ordinem* juſtum ducunt: proinde recte *Wedelius in Amœnitatibus Materiæ Medicæ* Nitrum *carminativis* remediis annumerat, quod non tam *laxando* & *evacuando* alvum, quam *irregulares* motus *temperando* ad flatuum emiſſionem & evacuationem contribuat; quando enim *irregulares* commotiones *mitigantur*, tunc evenit, ut reliquæ functiones in *juſtum ordinem* redeant, adeoque *moleſti flatus deorſum* promoveantur: quod *poſitiva carminativa* remedia attinet, tunc illorum virtus in eo conſiſtit, quo *tonum* in inteſtinis adjuvent & ſublevent, & dum *flatulentia* ex *irregulari* toni adminiſtratione oritur, ita tantum contribuunt *carminativa* remedia, quo tonus *ille denuo æqualiter* diſtribuatur, ne in *una* regione inteſtinorum *fortior* in *altera debilior* ſit: & cur talia *carminativa* medicamenta *primis regionibus* conveniant, non æque *ſimplices* & perſpicuæ rationes *phyſicæ* ſubminiſtrari poſſunt; niſi iterum hic *ſenſui* aliquid adſignandum ſit, qui per *diverſas* corporis partes *diſcrepat*: & cum *carminativa* remedia communiter humores *reſolvant* & attenuent, ita ad *primarum regionum* repurgationem eo magis contribuunt, ut tanto minus *impeditæ* hæ viæ, eo *facilius* atque lubentius *juſto* motuum gradu à *natura* inſtruantur; inde etiam evenit, ut ob motus *periſtaltici congruam* directionem *flatus contenti* per *ordinariam* viam *de-*

orſum

orſum transferantur & educantur, vel iterum in *ſeroſam colluviem* recipiantur & ſub ordinaria *alvi depoſitione* nunc in conſiſtentia *humida* excernantur, cum ſubjectum *humidum* in *vaporem* & ex *vapore* denuo in *humidam* conſiſtentiam converti queat; ſecundum declarationem *modi*, quo flatus profligantia remedia operantur, dijudicare etiam licet, in quonam caſu talia remedia per *diſcrepantem* ſuum modum operandi conveniant; ita facile liquebit, quod in *illo caſu*, ubi flatulentia *urget* & ſimul commotiones *ſanguinis translatoriæ* & *eluctatoriæ* concurſant, *acriora* carminativa *minime* quadrent, quæ hoſce *immoderatos* ſanguinis motus eo magis augebunt & *exacerbabunt*: quam iniquus vero ſit modus in flatus operandi *purgantium* & *narcoticorum*, facile liquet, dum *illa* nimis *immoderatè* præſentem *irregularem* periſtalſin aggrediuntur, *hæc* vero eandem magis *confundunt*, dum *ſenſum* moleſtiæ quidem *obtundunt*, ſed *motum* periſtalticum *minime* in *ordinem* juſtum convertunt, & licet hæc poſteriora remedia *aliquid* ad flatulentiæ *ſublevationem* conferre *videantur*, tamen *illorum modus* operandi in hac afflictione non eſt *ingenuus* & ſecurus, quia *futuris* gravioribus *damnis* anſam præbet: ex hac noſtra declaratione facile liquet, quod *nulla* dentur remedia, quæ *directe* in *flatus* operantur, nimirum quæ *immediatè* vel flatus præcipitant, vel diſcutiunt, vel plane excutiunt; ſed quod *alia* methodus huc requiratur, quæ ſuperiori *naturæ* directioni ſubjacet; ut ita hæc ſpecies evacuationis, quia & *neceſſaria* & *utilis* exiſtit, omnino *naturæ œconomiæ* adſcribi mereatur, neque à *nudis* cauſis *phyſicis* pendeat.

§. XVIII.

Non oblivioni tradere lubet hanc conſiderationem, quo videlicet modo VIRULENTA & ſic dicta VENENOSA ſubjecta ingeſta, *cooperentur*, ad ſui expeditam *excretionem*: de ejusmodi materiis itaque notan-

dum eſt, quod utplurimum vehementi *corroſivo* effectu in *texturam* partium, quas attingunt, operentur; id quod latius demonſtravit *Wepferus de Cicuta aquatica*: quo loco illa repeti poſſunt, quæ in *Specimine Primo de vomitoriis* & *Purgantibus* dicta ſunt: *conſequuntur* talium venenoſorum uſum, extremæ *anguſtiæ cardialgicæ*, *nauſea*, internus *ardor*, *tormina* horrenda, *ſuffocativi* conatus vomendi, actualis denique *vomitus* extremè impetuoſus, aut horrenda *colica* pathemata & vehementes dejectiones; miſſis pluribus talibus phænomenis, de quibus in univerſum agere non lubet, quia tantum *relationem* ejusmodi *veneni* ad *effectum* ſubſequentis *excretionis* intuebimur: jam notandum eſt, quod *venenorum effectus* ſit ſumme *perniciosus* & quod propterea illa à *corpore ſano* longe *abeſſe* debeant, aut ſi ad partes *vivas* & *integras* translata ſunt, vix *rationabilius* aut *præſtantius* conſilium ſuppeditari poteſt, quam ut ſine ulla *mora* & cum *maxima* efficacia illud ingeſtum venenum *rejiciatur*; quo oblato, reliqua jam inducta noxa paulo facilius emendari poteſt; conſequuntur itaque venenorum ingeſtiones ejusmodi *evacuationes*, quæ è *rationali* plane *inventione* & conſilio fluunt; unde ſi legitimè ſuccedunt, exoptatam *ſalubritatem* & mortis *evitationem* poſt ſe trahunt: quoniam itaque hæc *excretio* tam *ſalutarem* ſcopum proſequitur, quis ita alienus erit & *virulento* ſubjecto imputabit, quod vomitum aut alvi fluxum *efficiat*: etenim *venena lædunt*, hæ *excretiones* vero *reſiſtunt læſioni*, quare hæ *ab illis* dependere neque poſſunt neque debent: venena enim *nihil aliud* operantur, niſi *ventriculum* & *inteſtina* acerrimè *arrodant*, hanc noxam *natura ſentiens*, ipſa *ſpaſticis* & ad *evacuationem* ſubſequentem *collimantibus* commotionibus huic *damno reſiſtit* & *mortis* periculum *evitare* contendit; quare illæ *excretiones* ex prima ſua *deſtinatione* non ad *interitum* hominis, ſed ad illius *ſalvationem* & liberationem ſunt

ſus-

ſuſceptæ; ubi irritum erit ex *fruſtraneo* effectu atque eventum *totum* reliquum actum condemnare velle; ſiquidem *parallelum* ſpecimen *indies* in *moralibus* negotiis occurrit, ubi certæ operationes ad *ſalutarem* ſcopum *prævifæ* quidem ſuſcipiuntur, quæ tamen *non ſemper* ad eundem finem *pertingunt:* reliqui *concurſantes* motus *ſpaſtici*, qui has evacuationes nunc præcedunt, nunc comitantur, perinde vix ita *turbulenti* & omnis *rationalis* ſcopi expertes ſunt, ni æque ad tempeſtivam veneni extremè *adverſi* atque *noxii* ſtrenuam *exterminationem* properent & collineent; quemadmodum aliàs *in genere* ſpaſmodicæ commotiones ad *adverſorum*, *moleſtorum* & *noxiorum* ſubjectorum remotionem & *expugnationum* tendunt: quare etiam in *venenorum cura* adminiſtranda optima illa eſt methodus, quæ *ingeſtorum* illorum virulentorum ſubjectorum *tempeſtivam*, efficacem & modeſtam *evacuationem* promovent aut facilitant: hoc enim eſt optimum & certiſſimum *antidotale* conſilium & auxilium, quod ſicut ipſum *non per ſe* operatur, ſed per principalem *naturæ* concurſum, ita tamen vel *venenum* ingeſtum ſufficienter, *diluit*, involvit, emollit & quantiſper in nimio ſuo *corroſivo* effectu temperat, quo poſtea eo *promptius* & facilius à natura *exturbari* poſſit: imo quando contingit, ut venenorum ingeſtionem *convulſivi* motus conſequantur, tunc neque *hi* adeo *vani*, ſteriles & *confuſi* ſunt, ſed æque *extremum* & univerſale quoddam *conamen naturæ* conſtituunt, quo ſumme pernicioſi veneni *excuſſionem* urgent: & licet hoc auxilium non ſatis *accuratè* reſpondeat effectui & eventui impetrando, tamen quem vel leviter in cognitione *morum* humanorum verſatum latere poteſt, qualia *inconvenientia* conſilia & auxilia capeſſat anima, ſi in *extrema afflictione*, *periculo* & damno verſatur; quibus tentaminibus vero in hac deſperatione & *extremitate* aliquale *emolumentum* proſequitur; & ita per tot *demonſtrationes*

tiones & operationes *parallelas* animæ humanæ *uſitatas*, aſſerimus & defendimus, quod harum *excretionum*, venena ingeſta conſequentium cauſa primaria efficiens ſit eadem *natura*.

§. XIX.

Inter alios humores qui propter certos uſus excretoriis etiam functionibus tractari ſolent, adhuc occurrunt LAC & SPERMA: pro utriusque *augmentatione* & *evacuatione* vulgo in Therapia & Materia medica certa remedia commendantur, quorum modus operandi, hoc ordine, ubi hactenus de *Evacuationibus* ſermonem habuimus, inquirendus & explicandus erit: quando vero hi humores non deficiunt, ſed *abundant*, tunc experientia teſte illorum *excretio* eo facilius ſuccedit, haud tamen propterea *ſponte elabuntur*, aut ob *quantitatem* ſuam tantùm *enituntur*, ſed quia *abundant* eo facilius ſine aliquo impedimento & damno evacuari poſſunt: ita enim de *Lacte* v. g. conſtat, quod in fœminis *ablactantibus* eo usque *coacervari* queat, ut mammæ *intumeſcant*, aſt citra *paſſivam* eructationem; hinc lac, in mammis *ſecretum*, denuo *reſorberi* & in reliquam *maſſam ſanguinis* recipi debet; viciſſim conſtat, quomodo interdum *ſponte* lac exprimatum ſubtili & *titillatoria* mammarum intimiori *conſtrictione*: unde cum hoc *motu tonico*, qui *naturæ* & *non corporis* poteſtati & directorio ſubjacet, lactis excretio abſolvitur & cohibetur: interim quantitas *ſufficiens* ſingulorum humorum & *ſecretorium* & *depuratorium* & *excretorium* actum invitat: deinde *congrua* partium *apertura* perinde adminiculum eſt, quo *intra illas* tales humores ſe & excernendi ſufficienter transferri queant: denique harum partium *ſtimulatio* ſpecialior, eundem *motum excretorium* eo facilius provocat; *Lactis* itaque *excretionem* promovent *alimentoſa* ſubjecta, quæ chylum augent; hinc propter *copiam* hujus humoris tanto magis proclivis &

facilis

facilis eſt natura ad ejusdem humoris *ſufficientem ſequeſtrationem* & *evacuationem*: ita enim *nuda* abundantia chyli non *abſolvit* negotium in hoc actu; dantur enim fœminæ in *lauta* & plena diæta viventes, neque *vitio* quodam mammarum afflictæ, in quibus tamen *ſe-* & *excretio* lactis non ſuccedit, ut propterea omnino *rationem* inveniamus, quo in hac functione etiam *naturæ* principalem concurſum & *activitatem* accuſemus: porro promovet Lactis excretionem *fomentatio* & *frictio* mammarum partim *titillatorio* effectu & modo, quo *motus tonicus* in mammis & affluxus copioſior humorum intra illas invitetur, partim *relaxatorio* modo, quo ob majorem *amplificationem* poroſæ texturæ mammarum ingreſſus humorum *copioſior* provocetur, adeoque ſe- & excretioni lactis promptiori & majori occaſio præbeatur: de reliquo varia paſſim in materia medica remedia allegantur, quibus virtus *lac generans* & augens adſcribitur, quæ tamen *plus in titulo*, quam *in effectu* gerunt: dantur tamen medicamenta, quæ lactis *copiam* & conſequentem promptiorem *ſe & excretionem* adjuvant, qualia videlicet *concoctionem* adjuvant & ad *largiorem chyli* ſequeſtrationem & præparationem contribuunt, ut ſunt *aromata*, *aniſum*, *fœniculum*, *petroſelinum*, *carminativa* varia: Idem ferme ſentiendum eſt, de remediis *ſpermatis excretionem* adjuvantibus: ut ſunt talia, quæ humores *lymphaticos* & *ſalivales augent*, ex quibus ſperma vulgo conſtat: unde *gelatinoſa*, *lacticinia*, *pinguia*, *mucilaginoſa* ſpermatis copiam & evacuationem augent: huc porro contribuunt talia remedia, quæ *vias urinarias ſtimulant* & *excretionem* urinæ *augent*; cum vero viæ *urinariæ* & *ſpermaticæ*, ut & *urinæ* atque *ſpermatis* evacuatio exquiſitam *harmoniam* habeant, propterea *diuretica* remedia *ſpermatis* excretionem augent & incitant: & ſicut talia remedia *intrinſecus* has vias ſtimulant & afficiunt, ita

alia dantur remedia, quæ *ab extra* loca genitalia irritant, & eo ipſo ad ſpermatis evacuationem diſponunt, quoniam alias *genitalium* locorum *irritamentum* hanc ſpeciem excretionis facilitat.

§. XX.

Poſteaquam hactenus abundè de *Evacuantium* remediorum *modo operandi* actum fuit, ita placet pro Colophone præſentis tractationis, brevibus adhuc annotare *Errores Naturæ* circa talem remediorum operationem occurrentes: huc usque enim ſufficienter & perſpicuè demonſtravimus, *quomodo principalis* effectus *medicamentoſus*, non *a remediis* evacuantibus ſed *à natura* humana pendeat; quemadmodum vero *in moralibus* anima neceſſariis *adminiculis* non ſemper *rite* utitur, ſed potius iisdem plane *abutitur*; ita ſimiles *aberrationes* in *vitalibus* negotiis eadem committere ſolet: non quidem ſermo eſt, quomodo *ſuperfluus* remediorum talium uſus ad *exceſſivas* commotiones naturam ſeducat, ſed quomodo è *proprio* naturæ *directorio* medicamenta interdum *inverſe* & *perverſe* applicentur: etenim interdum evenit, ut ob *nimiam* naturæ *ſenſibilitatem* & activitatem *mitior* remediorum effectus *phyſicus*, *tantas* commotiones poſt ſe trahat, ut eventus admiratione dignus eſſe videatur: hinc in infelici tali effectu & eventu communis eſt provocatio ad uſu receptam *formulam*, aut *doſin* remedii, ex quo medici a ſe culpam omni modo declinare contendunt; neque etiam *remedio* imputare volunt; unde neſcias cui intervenienti accidenti attribuunt: in quo caſu *judicio* medico opus erit, ut antea ſubjecti *perſonales* conditiones recte perquirantur, quas in ſimplici commendatione doſium ſcriptor quidam adeo ſpecialiſſime annotare non potuit: ſed quis ea propter adeo nude & temere *naturam* accuſabit, quaſi *ipſius vitio* hoc contingat! neque quidem nega-

negamus, quod *primario* natura *proxima* hujus *infelicis* effectus cauſa ſit, quæ nimirum eundem exequitur; niſi vero *cauſa* fuiſſet, quæ eandem eo *ſeduxiſſet*, vix *illa ſola* tam facile hunc *incongruum* effectum produxiſſet; quare omnino *remedium* & *imperitus* aut minus providus hujus *adminiſtrator* accuſari debent: aliquando evenit, ut certa remedia non nimii, ſed *plane alii* effectus conſequantur, quando v.g. *vomitorii* uſum, *alvi fluxus* conſequitur, quale exemplum inter alios *Bartholinus Act. Hafn. Vol. II. obſ.* 27. recenſet, ut aliorum ſuffragiorum non reminiſcamur: ita non raro contingit, ut *purgans* remedium oblatum, *vomitu* rejiciatur: qualis *converſio* evacuationum omnino *irregulari* interdum naturæ *directioni* adſcribenda eſt, licet aliquando *ex accidenti* ſalutaris effectus & eventus illam conſequatur: quidni etiam *erronea* remediorum applicatio fuerit, quando ob oblatum *vomitorium* aut *purgans* remedium natura alvum *rigide occludit*, ubi ob anguſtiam loci & temporis non lubet ſpeciales caſus ex authoribus conquirere, quod ſuffragium, ubi ex experientia medica fluit, ita ex obſervatoribus proprio ſtudio ſuppleri & colligi poterit: aliquando etiam obtingit, ut natura *citra errorem*, ſed *ſalutari* omnino ſcopo *remedii* cujusdam effectum *coerceat* & ad *aliam* evacuationis ſpeciem procedat, qualis affectus deinde *robori* naturæ *vulgo* adſcribi ſolet; tale quid aliquando obtingit, quando *inopportune* evacuans quoddam remedium offertur, quo tempore natura jam in *magis congruam* excretionem propendet, quale exemplum vero, uti *ſpecialiſſimum* eſt, ita minime *ultra* ſuos *limites* extendi debet: proinde etiam *evagatur* omnino natura, quando ex oblatione remedii, ad *unicam* evacuationis ſpeciem directi, *præter neceſſitatem* & *utilitatem plures* excretiones exequitur, teſtimonio *complicationis emeſeos* & *catharſeos*, aut variarum ſpecierum *Hæmor-*

rhagiarum &c. ita etiam error eſt, ſi natura ad evacuationem quandam *modeſtius* invitatur & ipſa tunc ad illam cum *immoderata* congeſtione ruit, nec non loco debitæ *exonerationis*, incongruos *infarctus* & *præteritarum* excretionum *tenaciores oppreſſiones* committit: error etiam eſt, ſi ipſa *poſt adminiſtrationem* alicujus evacuationis, ad quam *per remedium* oblatum inducta fuit, *prægreſſam* unam vel alteram *ordinariam* excretionem *præter ordinem*, neceſſitatem & utilitatem *retinet*; velut ſi poſt prægreſſam *emeſin* aut *catharſin* alvi *obſtructio* aut *urinæ ſuppreſſio* ſequitur: quales plures errores naturæ notandos & corrigendos commendamus: Suffecerit hæc, hoc etiam loco & quidem *Secundo Specimine* de *Medicamentorum modo operandi in corpore vivo*, pertractaſſe: qua occaſione etiam doctrinam de *Evacuantibus*, quam hactenus perluſtravimus, obſignamus: Deo benigniſſimo etiam hunc laborem humillime conſecramus, inſuperque rogamus, quo eundem adeo promoveat, ut Medicinam tam Theoreticam, quam Practicam in ſui gloriam, proximi commodum & artis emolumentum adjuvet & confirmet.

SPECIMEN TERTIUM.

PROOEMIUM.

ANtiquum eſt dicterium, quod apud *Themiſtium Orat. 3. de Amicitia* legitur: Διὸς θυγάτηρ ἀλήθεια; de quo aſſerto *Plutarchus de adulat. & Amic.* ſimile effatum profert: *Veritas eſt, ut ait Plato, divina omniumque bonorum & diis & hominibus principium:* quod aſſertum vix ulli dubium eſſe poteſt, nedum quidem debet, cum per veritatem ad ipſam divinam ſapientiam adſpiremus: & ſane notatu dignum eſt, quod ipſe Benedictus Salvator ſe veritatem & non modo verum, ſed ipſam veritatem nuncupet, ut eo ipſo homo in omni actione & cognitione veritati ſtudere debeat: hinc *Lactantius Lib. 1. cap. ult.* dixit: *primus ſapientiæ gradus eſt falſa intelligere: ſecundus vera cognoſcere*: tanto magis vero veritatem ſectari convenit, quo magis falſa & erronea circumvolant; unde etiam prudentiæ opus eſt, ut dum errores cum veritatis ornatu paſſim circumdati & turgidi videantur, illi ab hac exactè diſcernantur, ne confuſio hæc futuris ulterioribus damnis anſam præbeat:

neque tantum ſatisfacit veritatem agnoſcere, ſed & in illa confirmari convenit: *Bonum enim eſt*, juxta apoſtolum ad *Ebr. 13. v. 9. ut confirmemus corda noſtra*: hæc enim confirmatio eſt veritatis nutrimentum & utilitates ex eadem veritate expectandas promovet atque auget: negandum tamen minime eſt, quod hæc veritas ſub variis ſpinoſis & ſalebroſis ſemitis progrediatur, ut multis ingeniis id eveniat, quod *Cicero Lib. I. de Nat. Deorum cap. 32.* exclamavit: *utinam tam facile vera invenire poſſem, quam falſa convincere:* haud tamen ea propter quempiam deterrere debet hæc facies rerum, qua interdum ita abſtruſa videtur veritas, quin potius omni cura ſtudioque quisquam anniti debet, quo non modo aditum ad veritatem præparet, ſed unam alteramve veritatem detegat & illius utilitatem commonſtret: prima vero veritas ita conſtituta eſſe debet, ne ullum quidem dubium contra eandem moveri poſſit, adeoque in eadem abſoluta certitudo adeſſe debeat: id ipſum etiam eſt, cur in ſcientia rerum vera acquirenda & in experientia ſtabilienda præ omnibus aliis quidem ipſum Factum, ſive, τὸ ὅτι rite & exquiſitè conſtare debet, ne videlicet animus è poſſibilibus concludat ad realia; ſiquidem priora è ſpeculatione, poſteriora ex obſervatione utplurimum emergunt: quare ſane illa notitia, quæ circa factum hujusque certitudinem verſatur, in toto veritatis ſtudio fundamentalis & cardinalis eſt: & quid quæſo magis ſcientias & artes offendit, impedivit & turbavit, quam præmaturæ & curioſæ ſpeculationes ad διότι directæ, neglectâ certitudine facti. Omnino vanus & otioſus labor eſt, fugitivo & credulo quodam animo factum quoddam ſupponere & ut certum fingere,

re, dehinc vero in operoſam & ſpecioſam, imo diffuſam ſpeculationem animum immergere, adeoque circa τὸ διότι luxuriari, circa ὅτι vero ſterileſcere: aſt quoniam in indagatione Facti, phænomenorum, effectuum ſimplicisſima maximeque ingenua veritas hæret, ita omnino *Clementis Alexandrini Lib.* 3. *Pædag. cap.* 11. effatum conſtanter memori mente teneri debet: *ſimplex veritatis color diligendus*: hæc cura, hæc induſtria, hoc ſtudium noſtrum eſſe debet, quo antea indubias & ingenuas veritates in Hiſtoria facti nobis comparemus: niſi enim Factum certum fuerit, reliqua cauſarum indagatio valde anceps & confuſa eſt. Quod hactenus in genere dictum fuit, illud merito ſeorſim ad Medicinam applicari debet & poteſt, in qua longe nobilior & utilior eſt conſideratio illius, quod actu fit, quam hujus, quod forte fieri poteſt, aut quod ſecundum certas præmiſſas & ſuppoſitiones fieri & contingere poſſet: dolendum merito eſt, quod in hoc poſteriori conatu animus humanus adeo operoſus & officioſus eſſe deprehendatur, dum ex certis principiis & aſſertis mox phænomena quædam effingit, quæ magis entia rationis & phantaſiæ, quam realia exiſtunt: & ne in longum campum demonſtrationum tranſiliamus, vel unicum hoc exemplar teſtimonii inſtar inſervire poteſt, quando ex ſuppoſitis quibusdam remediorum principiis, indubiæ quædam qualitates & virtutes colliguntur & ſupponuntur, dum adhuc eximium dubium viget, an etiam talia principia remedio inſint, an vero mixta, an ſimplicia, an ut mixta, an vero ut ſimplicia tales qualitates poſſideant, an tantum talibus qualitatibus prædita ſint, ut ex ejusmodi principiis

non ad alias virtutes concludere liceat &c. nobis utilior & pretioſior ille labor eſſe videtur, quando remediorum vires antea ex ſuis effectibus explorantur & qualis ſit talis effectus in ſubjectis robuſtioribus & in affectibus contumacioribus: exinde longe certius concludere licebit ad effectus eorundem remediorũ in ſubjectis ſenſibilioribus & debilioribus, nec non in affectibus mobilioribus, periculoſioribus & qui in acutam indolem propendent: quicunque vero in tali ſtudio feliciores & certiores greſſus facere ſperat atque contendit, ille ab idololatria authoritatis liber eſſe debet, ne vel antiquitatis, vel alterius ſplendoris vinculo captus, cæca quadam fide in tali diſquiſitione aſſenſum ſuum præbeat, quin rectius cum *Platone de Republ. X. Veritati virum non præponendum cenſeat* & potius ad certitudinem Facti contendat: neque etiam adeo neceſſarium eſt, tam anxiè ſemper τὸ διότι ſive modum fiendi indagare velle, quod interdum proximiorem utilitatem adjuvat: ita enim vel nihil, vel parum artis medicæ emolumentum promovebit nuda inquiſitio & notitia, an medicamentum quoddam per ſal, an per ſulphur operetur, an ſal ſit fixum an volatile &c. nam communis aut ſubtilis illa theoria chymica valde abſtruſa & incerta eſt, adeoque nullis certis applicationibus adhibenda: dantur enim remedia ſulphurea & ſalina diverſorum effectuum: quid quod cum ſtatus mixtionis & ſubjectorum mixtorum, nec non ratio qualitatum, è mixtione corporum provenientium, in hodierna phyſica perquam incognita res ſit, propterea conſultius erit, certitudinem aliquam de effectu talium remediorum acquirere: damus hujus conſiderationis exemplar: cinnabaris conſtat ex mercurio

&

& ſulphure: hoc interne reſolvit, motus auget & impellit; ille etiam humores colliquat & vias aperit: quis jam è mixtione ſulphuris cum mercurio hariolari poterit, quod cinnabaris ſedativam vim habeat? nonne conſultius fuerit, de effectu certitudinem noſſe, quam in illud abſtruſum διότι inquirere: quare antea diximus, quod interdum plus proſit, modum fiendi non noſſe, quia illius indagatio vel animum à dignioribus negotiis detinet, vel tantum in nudas ſpeculationes præcipitat, ut denique illud Chriſti effatum huc applicari queat *Luc.17. v.10.* ὅταν πόιησητε πάντα τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, λέγετε ὅτι δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν. *Servi ſumus inutiles:* contra vero eveniet, ut qui ſepoſito hoc ſtudio ſpeculandi ſincero animo ad ſimplicem veritatem collimant, de divino auxilio gaudere poſſint, ut hic valeat, quod *Seneca Declam.322.* profeſſus eſt: *gratias ago providentiæ divinæ, quæ nunquam ita opprimi vult veritatem, ut non magnis ſuis veſtigiis emineat:* At ne diutius in hoc præloquio maneamus, mox ſermonem inſtituemus de MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO, de qua conſideratione *Tertium* nunc *Specimen* producimus: non negamus, quod in hac diſquiſitione multæ incertitudines paſſim alibi occurrant, quæ præmatura ſpeculatione nituntur, neque rarum quid eſt, quomodo interdum in levioribus diſquiſitionibus animus ſæpe præter neceſſitatem occupatus ſit, quo valet illud quod Celſus *Lib.5. c. 26.* dixit: *Hiſtrionis eſt parvam rem attollere, quò plus præſtitiſſe videatur.* Nobis potius utilius videtur illud opus, quod circa certitudinem & veritatem effectus occupatum eſt: ſed ne nobis ipſis obloquamur, vix præſentem indagationem

nem & tractationem penitus ſterilem & inutilem eſſe judicamus, modo eadem veritate facti nitatur, neque obſcuris illis ſubtilitatibus philoſophicis, quæ plus in imaginatione & ſuppoſitione, quam ſolida demonſtratione habet, inhæreat: & cum impræſentiarum nobis incumbat publica Inaugurali Diſſertatione medicam aliquam conſiderationem ventilare, ita placuit eandem tractationem conſueta methodo commendare, ut videlicet ſteriles & inutiles evagationes ſedulo evitemus, ſed potius utiles & attentas applicationes ad Praxin medicam continuemus & ſervemus: placet vero in illis animadverſionibus progredi, quæ ad contextum hujus doctrinæ ſpectare nobis videntur; Deum veneramur, quo huic etiam ſpecimini eadem gratia adſit atque annuat, qua prioribus adſtitit, quo omnia in veritatis medicæ emolumentum cedant.

§. I.

DE *Medicamentorum operandi modo* uno alterove Specimine actum fuit, ſed cum hæc tractatio nondum peracta ſit, eapropter ſemel ceptum negotium in tantum hoc loco continuare placet, in quantum limites conſcribendæ Diſſertationis concedunt: hactenus enim *Evacuantium* remediorum *modus operandi* explicatus fuit, unde nunc ALTERANTIUM medicamentorum *energia* & *operandi ratio* inquirenda & explicanda erit: dicuntur vero illa *alterantia*, quæ vel *humores* vel *motus* ad ſubſequentem ſalutarem *excretionem* præparant, vel quæ *exorbitantes motus* iterum in *ordinem* juſtum ducere adjuvant: Cum itaque horum remediorum *diverſæ* claſſes atque ſpecies occurrant, ita etiam lubet illas breviter percurrere, ne vero ita præcociter in ipſam *ſpecialem* tractationem

nem

nem irruamus, præmittemus quædam præcognita ad præſens negotium pertinentia, videlicet quod *Alterantia* remedia minime tam *evidenti* effectu ſuum *operandi modum* obſignent ac Evacuantia, unde illorum *energia* ſemper in ſchola medica exploratu ſcituque *difficilis* fuit; ex quo fluit, quod circa illorum indagationem ubique *major* attentio & circumſpectio adhibenda ſit: deinde etiam ſciendum, quomodo Alterantibus *paſſim miræ* virtutes adſcribantur, quæ tamen in *ipſo uſu* & *effectu* haud *expertæ* & *probatæ* ſunt: id quod eo magis *præſervare* poteſt animum, ne de *non entibus* prædicata *certa* declamemus, aut *ſuppoſitarum* virtutum rationes atque cauſas *extorqueamus* & recenſeamus: v. g. ſi quis velit Alterantibus adſcribere virtutem *meliorandi* & corrigendi materias *peccantes*, quo hæ *ſine damno* & vitalitatis præjudicio *retineri* queant, quidni fruſtraneum fuerit in talem modum operandi ſpeculari, cum efficacia illa *invertendi* materias *tali*, quali prædicavimus modo, magis *imaginaria* & hypothetica, quam certa & vera exiſtat: tanto major etiam circumſpectio tenenda eſt, quo magis Alterantia in *materias* operari deprehenduntur, ne nimis *ſubtiliter* de materiis *ſpeculemur*, neve in *explicatione* & illuſtratione *modi operandi*, *obſcuritatem* majorem huic conſiderationi obducamus; neque etiam aliquid *utilitatis* promittit ille labor, ſi nimis ſubtiliter quiſquam de hoc remediorum operandi modo *philoſophari* vellet, quippe quæ operoſa meditatio plane nihil utilitatis medicinæ afferre poterit: ob id in *Alterantium* explicatione eo facilius animus ad *ſubtiles* ſpeculationes *ſeduci* poteſt, quoniam *effectus* illorum magis *interni* & *minus manifeſti* ſunt, ſicut contra *Evacuationes* magis *in ſenſus* incidunt: jam vero conſtat, quomodo *opiniones* in nulla re magis *luxuriari* ſoleant, quam ubi *craſſi ſenſus* non ſtatim penetrant, ibi enim *phantaſia* latiſſimum campum reperit, *fingendi* & *ſupponendi*, quod

ſenſuum *defectum ſupplere* videtur: eo magis vero pro *utilitate* medica militabit, ſi Alterantium *effectus* in *materias* recte annotantur & ad futuras juſtas *applicationes* ritè adhibentur; ne videlicet ex *ſuppoſito* quodam operandi modo, longe *alii* effectus excogitentur & deinde cum detrimento & vituperio artis urgeantur: interea neque de *Alterantibus* negandum, (quod de Evacuantibus alibi latius explicatum fuit) quod *phyſicam* etiam *efficaciam* in corpus humanum habeant, modo hæc non ita *indiſcretim* pro effectu *medicamentoſo* i.e. *ſalutari* declaretur & declametur, unde in hac universa tractatione de medicamentorum modo operandi hanc *differentiam* inculcamus, quæ inter *effectum* remedii *phyſicum* & connexum effectum *medicamentoſum* ſive *medicum* occurrit: *applicatio* enim effectus *phyſici* ad ſubſtratas afflictiones, producit *effectum medicum*, hæc vero applicatio non *in remedio*, ſed *in natura* per & *propter* remedium operante, hæret; unde neque *remedium*, rite adhibitum, penitus *otioſum* eſt, neque *natura* tantum *ſpectatorem* agit: quippe quæ notitia ad multas confuſiones evitandas inſervit, unde in hoc præſentis diſquiſitionis limine repeti & inculcari debuit, ne autumemus quod *ſalutares* remediorum *operationes* nudè *phyſicis* reſpectibus debeantur; cum perpetua *differentia* ſit inter corpus *vivum* & *mixtum*, aliusque *effectus* & *uſus remedii* in *corpore* nude *mixto*, *alius* vero in *vivo* exiſtat; quapropter medicamentorum modum operandi *in corpore vivo* inquirimus & explicamus.

§. II.

Priusquam ad *Alterantium* remediorum *modum operandi* explicandum *propius* accedamus, placet brevibus adhuc aliquot *requiſita* indicare, quæ ad hoc negotium recte pertractandum & intelligendum ſpectant: quod vero *ipſa Alterantia* remedia attinet, tunc eadem partim *in fluidas* partim *in ſolidas* partes operantur; cum *prioribus* ſeſe *commi-*

miſcent, poſteriores *contactu* ſuo, nunc magis nunc minus *ſenſibili*, afficiunt: *fluidas* partes nunc *per ſe* aggrediuntur, nunc cum hiſce *interagitantur* & ſub hac *commotione* iisdem *alterationem* quandam inferunt: ſubinde etiam in *Alterantibus* remediis occurrunt quædam *principia*, quæ ad *diverſos* & ſelectos *humores* peculiarem *relationem* habent, prout id ex ſimplici *effectu* judicare licet: an vero hæc *relatio* nitatur diverſitate *ſalium* & *reactionis*, adhuc ſub judice lis, neque quoad omnia ſubjecta & requiſita ſufficienter comprobatum eſt: quare *conſultius* eſſe judicamus in re *abſtruſa* & ancipiti potius rationem & *judicium ſuſpendere*, quam *opinionem* multis *dubiis* vexatam obtrudere: *quædam* Alterantia operantur in partes *ſolidas*, quibus non æque *talem materialem* qualitatem ita conciliant, uti *cum humoribus* contingit, quos *reſolvunt*, *attenuant*, *involvunt*, *incraſſant* &c: ſed easdem ad *alium* motus *gradum* diſponunt, unde operantur in *motum tonicum*, qualis partibus *ſtructis* & textis familiaris eſſe deprehenditur: ſed dum alterans quoddam remedium ita *immediate* tonicum motum immutare haud poteſt, propterea requiritur *ſenſus* in talibus partibus, mediante quo *oblatum* remedium *percipitur*, illiusque *effectus phyſicus* in tales partes *obſervatur* & ſecundum talem apprehenſionem & perceptionem motus vel *augetur*, vel *minuitur*: inde etiam evenit, ut remedium oblatum *Alterationis* effectum cauſetur, licet *ad illum locum*, in quo alteratio nunc ſuccedit, haud *pertingat*: hic *ſenſus* vero qui ad plurimorum remediorum modum operandi *medicamentoſum* concurrit, neque *à remedio* ipſo fluit, neque *corpori* eſt proprius, ſed *naturæ* competit, ut ita ſecundum prædictam noſtram aſſertionem, in *effectu Alterationis* recte producendo & dirigendo, multis modis *exquiſitè activa* deprehendatur *natura*: dantur vero etiam Alterantia, quæ præcipue præter ſenſum, *in genere* ita accipiendum, etiam cum *æſtimatione*

tione grati & *ingrati* exactè connexa ſunt, ſicut in *roborantium*, *nervinorum*, *cardiacorum*, *analepticorum* theoria hæc notitia magis innoteſcet: ſed dantur etiam quædam Alterantia quæ ſimplici ſuo *phyſico* effectu operantur, dum *humores* vel *diluunt* vel *inſpiſſant*, *partes* vero vel *emolliunt* vel *exſiccant*; imo dum *ſalſedines* & *acrimonias obtundunt*, *temperant*, *extenuant*, aut *hebetant*: &c. interim ut antea monuimus *ſalutaris* hujus Alterationis *applicatio* in uſum *vitæ* & *ſanitatis* directa, ipſi *naturæ* competit: unde ſciendum, quod utplurimum ad *Alterationem* inducendam *motus naturæ vitales* requirantur, quibus *mediantibus* oblata remedia tam *ad partes*, quam *intra humores* transferri debent, imo quibuscum ipſa *remedia* cum *fluidis* partibus *ſubigi* & *commiſceri* poſſunt: imo dantur *Alterantia*, quæ in *diſcretas* tantum partes operantur, neque alias *adeo* afficiunt & irritant; ut in hac circumſtantia omnino diverſitas, *ſenſibilitatis* in diverſis *partibus* accuſanda ſit; & credimus quod in hoc paſſu *trivialis materia medica* aliquo *nævo* & defectu laboret, dum modo conſtant remedia quæ plus operantur in *ventriculum*, alia in *inteſtinum duodenum*, alia in inteſtina *craſſa*, quædam in plexum *meſenterii* & *Venæ Portæ*, aliqua in *Pulmones*, alia in *renes*: unde judicamus quod *alia* adhuc remedia in rerum natura proſtent & conſtent, quæ in *alias* etiam partes *ſpecialiorem* ſuam efficaciam exſerere poſſint, modo illa exacte conſtent: & hoc fundamento niti credimus *praxin* per *ſimplicia*, ubi interdum homines valde *ſimplices* & *indocti*, cum contumelioſa quaſi *herbula* & *radicula*, ut ajunt, citra ullam *maleficii* ſuſpicionem tam ſtupendos & mirificos effectus proferunt, quos aliquando Doctiſſimi Experientiſſimique homines proferre haud poſſunt: an vero *communia* illa *Cephalica*, *Cardiaca*, *Hepatica*, *Spleneticа*, *Uterina* indiſcretim hujus indolis ſint, de eo merito habemus quod dubitemus: de qua conſideratione pluri-

bus

bus actum fuit in *Diſſertatione D. D. Præſidis de Dubiis vexatis materiæ medicæ.*

§. III.

Illud etiam hoc ordine *in genere* adhuc notari debet, quomodo in corpore *vivo* Alterantium modus operandi *eo ordine* procedat, ut *vita* & *ſanitas* exinde neceſſarium ſuum *fructum* acquirat: alias talia remedia potius in *præjudicium* vitæ æque facile operari *poſſent*, ac in illius emolumentum: ex quo denuo inculcamus, quod Alterantium remediorum *ſalutaris* effectus primario utplurimum neque in *remedii* neque *medici poteſtate* conſiſtat, ſed *naturæ* directorio ſubjectus ſit, quæ propterea etiam aliquando Alterantium effectum *phyſicum erroneo* plane modo cum *periculoſo* ſucceſſu & eventu applicare ſolet: neque etiam neceſſe ſemper eſt, quo talia remedia *craſſo* quodam *ſapido* ſive *ſalino* ſive *ſulphureo* principio operentur, quoniam *inſipida*, aut ſimpliciora terrea, aut mucilaginoſa, aut *parum ſapida* etiam eximias *Alterationes* cauſari ſolent, uti terræ bolares, ſigillatæ, uſtæ &c. eximie adſtringere & incraſſare poſſunt: neque tamen eapropter refellimus, quaſi Alterantia *nullo* ſalino aut ſulphureo principio operentur, ſiquidem *hæc principia multum* omnino valent ad *motus* humorum & partium ſolidarum alterandos, provocandos & ſupprimendos: talia principia vero *diverſæ tenuitatis* & efficaciæ ſunt, dum v. g. aliud *ſulphur* eſt magis *oleaginoſum* & *vaporoſum*, quod vocant dampffſicht, fettſicht, quale in caſtoreo, opio, moſcho &c. exiſtit, aliud eſt magis *terreo-ſalinæ* indolis, aliud eſt *ſubtile volatile*, aliud *fixius* & *craſſius*, aliud *reſinoſum* & *balſamicum*, aliud magis *terreum* & *macrum* eſſe deprehenditur, quoddam non ſolum cum ſulphure, ſed cum ſalino principio conjuncto ſimul operatur; id quod etiam circa ſalina principia notare convenit: haud tamen conſultum & utile erit, in *modo operandi* remediorum exponendo, *ni-*

mis diu ejusmodi meditationibus inſudare velle, qualis diſquiſitio *magis phyſica*, quam *medica* eſſet & magis ad *corpus mixtum*, quam ad corpus *vivum* applicari poſſet, unde de eadem *tantæ utilitates* in medicina vix promitti poſſent; quare in *tali* indagatione *brevitati* potius ſtudendum eſſe judicamus & in *demonſtrationibus* ſubminiſtrandis *perſpicuitati* inhærendum eſſe cenſemus: neque etiam adeo penitus *deſolata* eſt *Theoria Phyſico-Medica*, quin *evidentes* & *ſolidas* rationes atque demonſtrationes de *diverſis Alterationibus* ſuppeditare queat, ut non neceſſe ſit ad *obſcuras* & occultas, aut plane *effictas* qualitates mumiales, aſtrales, magneticas, archeales &c. provocare; uti viciſſim *temerarium* conamen eſſet, explicationes *rationales* & ab omni *ſuppoſitione* & *aſſimilatione* alienas, quæ proximè *ad hominem* applicari poſſunt, neque per *allegorias* & *metaphoras* cum functionibus humanis comparantur, *obſcuris* explicationibus annumerare velle, ſed in eo ſymbolum ſapientiæ, *ſuum cuique*, tueri & exercere: interim etiam neque *talia* Alterantia excogitanda ſunt, quorum *modi operandi* æque *imaginarii* ſunt, ac *ipſa remedia*; hujus indolis & characteris ſunt, remedia quæ *acidum hypochondriacum* deſtruunt, quæ *fermentum peregrinum* extingvunt, quæ *ſpiritus* reficiunt, illuſtrant aut augent, quæ *calculum frangunt*, quæ pulmones *conſumtos* regenerant &c. quemadmodum enim *nulla* talia remedia dantur, ita illorum modus operandi deſcribi non poteſt: hinc in præcedentibus non ſine juſta & prægnanti cauſa monuimus, quo antea artifices de remediorum *effectibus certi* eſſe debeant, *antequam* de illorum *modo operandi* diſſerere & ſpeculari inchoent; aliàs labor ille æque *ſterilis* eſſet, ac ſpeculatio de montibus metalliferis in Planetis, de hominibus & animalibus brutis Pythagoricis in luna, de qualitate aquæ & vini, in venere obviorum ſubjectorum: & tales errores merito in Alterantium tractatione indicandi & pro-

vide

vide evitandi ſunt, ne fruſtraneum & inutile opus tractemus: neque etiam huic tractationi aliquam *lucem* affundet, ſi juxta *veteres*, *certos* effectuum *gradus* ſupponamus: & licet *plus* aut *minus* ſpeciem non variet, tamen *effectum* quidem mutat, unde ſuffecerit in eo acquieſcere, an aliquod *alterans* vel *magis* vel *minus* ſuo *charactêri* ſatisfaciat: otioſa etiam illa erit ſpeculatio, quando huic Theoriæ de modo operandi remediorum, *phantaſiam* illam de *ſignatura plantarũ* immiſcemus, aut quando certos *aſtrorum influxus* ſupponimus, & diſtinctis planetis *certos gradus* & in hiſce gradibus *certas vires* attribuimus & hanc theoriam ad præſentem animadverſionem applicamus, quæ *Paracelſiſtica*, Crolliana & inter recentiores *Carrichteriana* & *Cardiluciana* ſententia neque ratione neque experientia ingenua probata eſt.

§. IV.

Miſſa hac *præparatione* & *introductione generali* ad ſubſequentem ſpecialiorem tractationem progredimur & ſigillatim *diverſas Alterationum* ſpecies percurremus; quoniam vero plurima *Alterantia* partim *humores*, partim *motus* ſimul afficiunt, ita non peculiarem ordinem ſervare poſſumus, ob id *principaliores* Alterationes in illa ſerie, quæ nobis placuit explicabimus: ad *Alterantia magni* nominis & *frequentioris* uſus vulgo referuntur ADSTRINGENTIA, quæ cum *humoribus* & *motibus* commercium habent; proprie quidem talia remedia vel *incongruas apertiones* & *evacuationes occludere* vel *laxioribus* partibus auctiorem *ſtrictorium* motum conciliare debent: *genuinus* & ſimplex Adſtringentium effectus conſiſtit, in partium *flexilium* efficaci *conſtrictione*; adeoque *partes* huic *effectui* ſubjectæ ita comparatæ ſunt, ut mediante *motu tonico* nunc *relaxari*, alibi vero *conſtringi* queant; & quoniam hic motus tonicus *vitalis* eſt, ita non *aliunde* dependet, quam *à natura*, quæ eapropter

vel

vel *ſponte* partes tales *flexiles*, nunc remittit & *relaxat*, alibi vero comprimit, coarctat & *conſtringit*, quid quod interdum tam *contumaces* adſtrictorias *occluſiones* committit, ut vix Adſtringens remedium *comparem* effectum edere poſſet, teſtimonio *oppreſſarum* Hæmorrhagiarum ob prægreſſum *terrorem*: quid quod ipſa paſſim tam *rigidè* partes fibroſas *conſtringit* in paroxyſmis *febrilibus frigoris*, in *ſpaſmis* & *convulſionibus*, nec non in *contracturis* ut medicamentum quoddam vix facilè occurrat, quod tam *repentinos* & *vehementes* effectus cauſari poſſit: neque etiam in *corporis* capacitate eſt, quo *ſe ipſum* hoc *motu* inſtruere & *dirigere* queat, licet in eodem hæc *materialis aptitudo* ſit, quo *tali* motus ſpecie & gradu affici & dirigi *poſſit*: ob id illi reſpectus *phyſici* minimè *confundendi* ſunt; talem itaque *effectum*, qui *adſtrictioni*, in corpore *vivo* occurrenti, *æqualis* eſſet, *remedia efficere* aut *per ſe* in corpore animali excitare *non poſſunt*: hinc aſſerimus quod *motus* adſtrictionis *à natura* humana pendeat, quæ in *vitali* œconomia *leniori* hujus motus *gradu abſolute* utitur eundemque *in ſua poteſtate* habet: quando enim *eadem natura* in aliqua parte *hunc* motum *remittit*, tunc *copioſius intra* illam humores confluunt, quando viciſſim hunc motum *auget*, tunc magis humores *refluunt* & retrocedunt: quidquod mediante *hoc tono* natura *evacuationes augere* iterumque *minuere* & reprimere poteſt: inde ſequitur, ut in repreſſionibus & *ſuppreſſionibus* humorum atque *fluxuum*, nec non in obfirmatione & *condenſatione partium* provocandis artifex cum *ejusmodi* adminiculis inſtructus eſſe debeat, quæ in *hunc tonicum* motum certo modo *operari* poſſunt: quo *fortius* enim hic tonus intenditur, eo certius *adſtrictiones* & retropulſiones conſequuntur, quo *lenius* vero hujus toni augmentum eſt, eo magis partes *roborantur* & ſufficienti firmitate atque denſitate inſtruuntur, ne *laxiores*, & conſequenter *debiliores* exiſtant: & *hic modus*

dus Adſtrictionem provocandi magis *naturalis* eſt, licet propterea *non indiſcretim* applicari & exerceri debeat, dum cum *adſtringente* effectu in *medicina* practica eximii ſæpe *errores* committuntur: datur vero *alius modus* non tam adſtrictionem, quam *fluxuum occluſionem* conciliandi, qualis magis *præternaturalis* exiſtit: dum enim *humores inſpiſſantur*, tunc per *vias* ſuas, ſive ſint *pori* & cribra, ſive *vaſcula* commode *progredi* non poſſunt, inde contingunt *ſtagnationes*, *inſpiſſationes*, *occluſiones*, *ſtaſes*: quæcunque itaque remedia *humores coagulant*, illa ad *fluxus compeſcendos* diſponunt; & hic modus *chirurgis* per familiaris quam eſt, quando *fluxiones* humorum ex *ulceribus*, aut *vulneribus* provenientes compeſcere volunt; ſed quia hic modus *naturali* ordini magis *repugnat*, in quo *natura* humana magis *paſſiva* eſt, propterea etiam *talis* adſtrictio variis *difficultatibus* & damnis eſt obnoxia.

§. V.

Effectus Adſtringentium *medicamentoſus* eo usque *naturæ directorio* ſubjacet, ut minime ſemper neceſſe ſit, quo adſtringentia remedia *ad illum locum* pertingant, in quo *adſtrictio* fieri debet: quis enim adeo credulus fuerit, quaſi in exceſſivo *menſium* fluxu, aut in *hæmoptyſi*, aut *narium Hæmorrhagia*, oblata *remedia* ad *uterum*, intra *pulmones*, ad *nares* pertingant: interim cum *in hiſce locis* extra ordinem natura cum *evacuatorio* actu occupata ſit, ita evenit, ut eadem *effectum adſtrictionis*, ad quem *per oblatum* adſtringens remedium *concitata* fuit, ad ejusmodi locum transferat & applicet, in quo de *præſenti* magis *ſenſibilis* & *operoſa*: cujus motuum *ſpecialioris directionis* varia *parallela* phænomena, quæ in *moralibus* negotiis occurrunt, ſuppeditari poſſent, ſi tempus & occaſio permitteret: id breviter indicamus, quomodo *anima* humana ſæpius *accidentales* functiones, in *illa loca* & *tempora* transferat, in quibus cum aliis ſonticis negotiis

magis occupata eſſe deprehenditur : neque quidem in tali effectu provocatio ad *genus nervoſum* rem exhaurit: quomodo enim *oblatum* adſtringens remedium *illos nervos* afficiat, qui ad *uterum*, *pulmones* aut *nares* abeunt & cur *non alios*? in hoc negotio *peculiari* & *difficiliori* adhuc *directorio* opus eſſet: ita ut in tantis tenebris vagari neceſſe haud ſit : proinde etiam eadem natura effectum *mitioris* adſtrictionis & ita dictæ *tonicæ roborationis*, ad quem per *oblatum* remedium *generice* excitata fuit, in *illa loca* applicat, in quibus aliqualis *moleſta atonia* ſive debilitas adeſt; quemadmodum in *moralibus* negotiis, homines *eo* oblata *auxilia* applicant, ubi afflictio *magis urget* & angit: enim vero oblatum remedium adſtringens *mox* in *ventriculo* ad *adſtrictionem* inducendam operatur, quod vero *non ventriculus* aut *inteſtina* adſtringantur, ubi in hiſce locis adſtrictione *opus non eſt*, ſed *in aliis locis*, *altiori directorio* competit : interim aliquando cum *damno* contingit, ut ad adſtrictionem *ſemel commota natura*, non modo in *remotiores* regiones effectum *adſtrictionis* transferat, ſed & in *propioribus* ſimul eundem effectum exerceat, teſtimonio adſtrictionis *menſium* & *Hæmorrhoidum*, cum aliis *obſtructionibus hypochondriorum* contingentibus: imo *differunt* ſubinde *effectus* & *gradus* adſtrictionum ſecundum *ſenſibilitatem* ſubjectorum, ut ſane culpa non in *teneritatem corporis* conjicienda ſit, ſed in vehementiam & incontinentiam *perceptionis*; unde etiam evenit, ut homines *corpore robuſti*, cœteroquin *admodum ſenſibiles* interdum exiſtant; propterea tamen ad *effectum adſtrictionis* non ſemper *craſſa* offenſio aut *ſenſatio* requiritur, cum *intimior* etiam offenſio *ſatis efficacem* & vigilantem ſenſationem oppoſitam reperiat, ut non æque neceſſe ſit, quo aliqui *dolores* aut craſſæ perceptiones concurrant, quo *nobiliora* enim ſunt interna viſcera, eo *ſubtilior* & *alacrior* eſt interna ſenſatio: ob id remedia *adſtringentia* non ſemper cum *craſſo acido*, *auſtero*,

ſtero, acerbo, ſtyptico ſale operari debent, quoniam *ſubtiliora* principia perinde *eundem* adſtrictionis effectum provocare queunt ſolentque: imo *quædam* remedia viciſſim non *craſſe ſapida* eſſe deprehenduntur, ſed *ſubtili* ſuo ſapore admodum *extenuato*, *ſubtiliori* quidem modo adſtrictionem cauſantur, qui effectus vero nihilominus *contumax* & fortis eſt; uti quorundam hominum *mores*, *lenes* quidem & *taciti*, ſed admodum *potentes* & *tenaces* ſunt, de quibus vulgo dicitur: ſtille Waſſer graben auch tieff. Si itaque motus *adſtrictionis* eſt de *proſapia motus tonici*, ſi hic *tonus*, ut fuſius alibi demonſtratum fuit, eſt *actus naturæ* & non corporis, ſi *natura motuum* exercitio & *directorio* in *corpore* humano præſidet, quis poterit *effectum adſtrictionis* vel *remedio* nudo vel *corpori* adſcribere? cum vero totum *corpus naturæ dominio* ſubjectum ſit, quidni *hæc effectum adſtrictionis* in *aptis* ſui corporis partibus adminiſtrare poterit: quare *remedia* adſtringentia ſunt tantum *incitamentum naturæ*, ſive *cauſa impellens*, quam *amplectitur natura* & *ſecundum illam* hanc ſpeciem & *hunc gradum modus tonici* adminiſtrat: *objecta* enim *movent* ſive afficiunt *ſenſus* & ſecundum illorum objectorum *rationem* & conditionem *motus* cum in *moralibus*, tum in *vitalibus* exercentur, prout hujus phænomeni *innumera* ſpecimina in *moralibus* functionibus occurſant.

§. VI.

Poſteaquam in præcedentibus curatius explicavimus *activitatem* & *concurſum naturæ* in *adminiſtrando* & *dirigendo* effectu *Adſtrictionis*, brevibus adhuc præſenti conſideratione inquiremus in *efficaciam remediorum adſtringentium*, aut *quid* hæc *medicamenta efficiant*, quo *adſtrictio conſequatur*; hæc enim animadverſio ad *medicamentorum* indagationem & *relationis medicamenti erga naturam* explicationem pertinet; ne vero otioſis & obſcuris, aut plane fallacibus ſpeculationibus inhæreamus, ſuccinctè ſignificamus,

quod *adſtringentia* remedia partim *ſalia* craſſius & potentius aut ſubtilius *acida*, partim ſimul *terrea calcarea*, ſubtilia exſiccantia poſſideant principia: utraque vero principia habent qualitatem *humores coagulandi*, *inſpiſſandi* & incraſſandi: hæc *coagulatio* humorum *libero motui* progreſſivo valde præjudicat, ut propterea *naturæ* interſit, quo humoribus ſuis *in ſalvum* ducendis operam det: id ipſum non certius aut efficacius fieri poteſt, niſi *partes illas* in quibus *adſtringentia* remedia hærent, primario quidem *conſtringat*, & ex iisdem illos humores *reprimat*: quem adſtrictionis motum *in illa loca* mox transfert, *in quibus* nunc natura vel per *alios* motuū gradus *operoſa* eſt, vel motus neceſſarios amiſit & intermiſit, ut mediante hoc motu adſtrictorio in iisdem locis vel *fluxus immodicos* retineat, vel *deficiens* robur iterum reſtituat; quod vero aliquando adſtringentium uſus *noxii* ſint, *perverſæ* horum remediorum ordinationi adſcribendum eſt, per quam ipſa etiam *natura* ad *perverſum* & inopportunum adſtrictionis motum *ſeducitur*: & cum remedia *adſtringentia* partium *obrigeſcentiam* ſive *compreſſoriam* conſtrictionem inferant, ita *natura* hanc *ſtricturam* in locis *affectis citius* adminiſtrat, *nullo* habito reſpectu, an æque in illis locis humores ſuſpectis *coagulationibus* expoſiti ſint: ſufficit, quod hæc *prior* afflictio, quæ ad *adſtrictoriam* hanc commotionem primam anſam ſuppeditavit, in *alio loco* contigerit; facile enim *natura* ad *inſolitas* commotiones invitari & incitari poteſt & ſolet: proinde dantur *remedia adſtringentia*, quæ diverſarū partium diſcrepanti *ſenſibilitati* aliena ſunt, unde ejusmodi partes *conſtringuntur*, quo *intimior* remediorum illorum *acceſſus* & ingreſſus a partibus illis *avertatur* & *præcludatur*: quare adſtringentia *quædam* magis *membranaceas*, alia *tunicaceas*, nonnulla *muſculoſas* partes *citius* alterant: dantur itaque *adſtringentia* medicamenta, quæ in *ore* detenta *narium hæmorrhagias* & *Hæ-*

mopty-

moptyſin compeſcunt, dum *adſtrictionis effectus* in faucibus concitatus per tunicam *connexam* tam intra *infundibulum*, quam intra *pulmones* extenſam, continuatur: qua *continuatione membranarum* multum nititur Theoria motuum à *Baglivio* in *tractatu de Fibra Motrice* propoſita: & hac animadverſione nititur etiam illa theoria, cur *quædam adſtringentia* in hanc aut aliam partem *citius* operentur: ubi quidem minime negamus, quod remedia *adſtringentia*, imprimis *copioſiori* quantitate, aut *repetita* vice adhibita etiam *immediate* ad *illa loca* perveniant, in quibus adſtrictio deindè adminiſtratur, teſtimonio *travmaticorum* remediorum *intra pectus* operantium, aut *adſtringentium* medicamentorum in *primas regiones*, vel in *inteſtinum rectum* ad compeſcendas *Hæmorrhoides* ſpecificè operantium: proinde remedia *terrea*, quæ *calcaream* indolem aſſumunt, *adſtringente* illa qualitate prædita ſunt; è quorum numero *uſta* præcipue exiſtunt, quæ non alio, quam *incraſſante* & exſiccante effectu operantur: hinc remedia talia incraſſantia *parallelum* effectum edunt, qualis alias *adſtringentibus* remediis adſcribi ſolet, dum humores *nimis fluidos* in tantum *inſpiſſant*, ne motibus *congeſtoriis*, *ſe* & *excretoriis* tam *facile* obtemperent, ut propterea *affluxus* & *effluxus* eo *citius* ceſſent, aut *miteſcant*: & tale exemplum atque ſpecimen in *chirurgicis adſtrictionibus* occurrit, quando remedia *ab extra* appoſita, vel *immediatè* humores attingunt, eosdemque *coagulant*, ut per illa *pori occludantur*, vel quando *fibrillæ* cum ejusmodi remediis *moleſtius* afficiuntur, ut propterea eædem *contrahantur* & retrahantur, adeoque adſtrictionis & condenſationis effectus conſequatur: illud enim in hac adſtrictionis Theoria adhuc notandum eſt, quod propterea etiam in quibusdam *ſenſibilibus* locis adſtrictionis effectus ſequatur, quia remedia *illas* partes *adeo* offendunt & *moleſtè* afficiunt, quo *natura*

pro hoc *moleſto ſenſu excutiendo* & *adhærente* remedio *amovendo* afflictam partem conſtringat & *contrahat*; id quod etiam evenit, ſi medicamenta *adſtringentia* proximè & *immediate tales* partes contingunt, quæ *tonico* motu præditæ ſunt; de reliquo dantur etiam *talia* remedia, quæ in *ſuperficiem* corporis & ipſam quidem *cutem* applicata, adſtringentem & *reprimentem* & *repellentem* effectum poſt ſe relinquunt, non alio operandi modo, niſi vel ſuperficialem humorum *coagulationem* minentur, vel *ſubtili* ratione *ſuperficiem* cutis *moleſtius* afficiant, quo cutis conſtringatur, quem utrumque effectum præcipue ſulphur ab extra applicatum, cauſatur, dum per *acidam* ſuam ſubſtantiam & *humores* & *partes* afficit, quando ſubtiliter *poros* cutis ingreditur & caloris motu agitatur: uti alias de *acido ſulphuris* principio conſtat, quod valde *coagulet* humores: *principalius* enim ſulphur cum acido ſuo ſalino principio operatur; *inflammabile* viciſſim illius principium, quia *volatile* eſt, magis ad *commotionem* humorum diſponit, ſed ſi *extra mixtionem* exiſtit, prompte *diſſipatur*: cur denique *acida* humores coagulent, ex *relatione* hujus ſalis erga ſubſtantiam *terreo-limoſo-calcaream*, quæ *ſanguini*, *lymphæ*, *chylo*, *mucilagini* ineſt, petere convenit, ſicut ex obſervationibus *phyſico-chymicis* conſtat, quomodo *acida* ſalia cum ejusmodi *terris* convenientia, *denſiorem* & firmiorem conſiſtentiam producant: an vero *ſubtilior phyſica corpuſcularis* ſolide & *rationabiliter* explicare poſſit, ob *quam cauſam* acida cum ejusmodi terris in *firmiorem* conſiſtentiam abeunt, adhuc *expectandum* eſt & ſi etiam *indubie* & *perſpicue* id demonſtrari poſſit, quæſtio adhuc movenda eſſet, an etiam hæc *ſubtilis* meditatio *ullam* veram & *realem utilitatem* afferat: nos potius ab hac meditatione impræſentiarum abſtinemus, quia *ad ſcopi* & propoſiti noſtri illuſtrationem non pertinet, ſed *diffuſioribus* & magis *ſpeculativis* animadverſionibus inſtituendis inſer-

inſerviunt, quæ quia *medicam* applicationem *deſtituunt aut ab utili* applicatione utplurimum animum *ſeducunt*, eapropter has ſubtilitates evitamus & in hac *Adſtringentium Theoria* acquieſcimus.

§. VII.

Sicut Adſtringentia remedia *evacuationes retinent, ſecretiones* coercent, *fluxum* & *refluxum* humorum cohibent, ita huic Adſtrictionis effectui proxime opponuntur APERIENTIA remedia, quæ vias *occluſas* iterum *reſerare* debent, quorum hoc ordine mentionem facere, illorumque *modum operandi* explicare lubet: *proprie* vero *Apertio* opponitur *occluſioni*, quæ poſterior *variis* modis contingere poteſt, vel quando *nimio impulſu* humorū viæ obſtruuntur, vel quando *actu viæ conſtringuntur* vel quando *humores ſpiſſiores* occludunt vias, vel quando ob viarum & partiū *atoniam* ſive laxitatē humores *copioſius coacervantur* & in affectis locis *ſtagnationem* aut actualem *ſtaſin* ſubeunt, ut tempeſtiva reſeratione & apertione opus ſit: Et ſecundum has animadverſiones minime tam *craſſus* conceptus formandus eſt, quaſi Aperientia *ejus* efficaciæ ſint, quo *tantam vim*, tantum robur ac elaterem *corpori* concilient, ut nudo & *ſimplici impulſu*, id quod evacuari debet, exturbent & *expellant*, cujus conditionis Aperientia vix ulla hactenus cognita ſunt, quemadmodum ne quidem *fortiſſimus pulſus* atque *tonus* Apertioni, & quidem *tali* inducendæ, qualis *ordini vitali* competit, ſatisfacit, ut rectius ex eodem *impetu* interdum *majores infarctus* & oppletiones demonſtrari & obſervari poſſint; quare hic modus *ſimpliciſſimus* naturæ in conſervando *libero progreſſu* humorum & in continuandis *neceſſariis evacuationibus* annotandus, quod pro hiſce negotiis requiratur *ſufficiens* quidem *motuum gradus*, ſed & juſta hujus *applicatio*; accedit debita *proportio qualitatis* humorum ad *motus* & motuum ad humores: hunc modum ſi *imitatur* artifex, *ſimpliciſſimam*

&

& *ſecuriſſimam* inveniet methodum, plurimum vero ad congruam *Apertionem* tum *viarum*, tum *fluxuum* & *evacuationum* ſalutarium contribuit *juſtus motus*, ſine quo neque viarum *permeabilitas*, neque humorum *fluiditas* Apertionis negotium abſolvet; per hunc motum enim *excretiones* abſolvuntur & *progreſſus* humorum expediuntur, ſiquidem in *legitimo* œconomiæ *vitalis* ſtatu functiones *ſalutares* & neceſſariæ non *paſſionibus*, ſed *actionibus* nituntur: quid quod ille mos eſt *naturæ*, ut in *Apertionibus* inducendis hos motus ſingulari *moderamine* applicet; quo quidem ſane plus *toni* valor, quam *pulſus* efficacia contribuit, qui *poſterior* ut plurimum *vanis impulſibus* anſam præbet & *generalibus* atque diffuſis humorum *commotionibus* cauſandis ſatisfacit, cum *prior particularibus* reſtrictionibus, appreſſionibus & *congeſtionibus* inſerviat: hinc illæ *ſolennes* & notatu dignæ Apertiones, quibus ſua *ſponte natura* evacuationes diverſæ ſpeciei adminiſtrat, vel quibus *humorum ſtaſes* & occluſiones iterum *reſerat* & recludit, teſtimonio *Hæmorrhagiarum* præcipue (ut *diverſarum aliarum* evacuationum non reminiſcamur) *inflammationum*, *tumorum* & *ſcirrhorum*: Hinc ipſa *ſimplex* Apertionis ſignificatio *tantum* involvit, quo ad *certa* loca congruus *aditus*, affluxus & *transfluxus* humorum concedatur, id quod primario adminiculante, *conveniente motuum* directorio contingit: ſicuti tantus hiſce *motibus valor* adeſt, quo *per illos* ſuſpectæ *occluſiones* inducantur: quicunque itaque *ſecuras* Apertiones *therapevtica* methodo producere & promovere contendit, ille *modum naturæ* noſſe debet, quo *ſponte* eundem *Apertionis* effectum perficere ſolet: omnes enim violenti & *impetuoſi* modi inducendi Apertionem non modo *minus ſecuri*, ſed & *dubii* atque *fallaces* ſunt: quo magis vero promotio apertionis *ordini naturæ* accedit, eo *facilius* & *ſecurius* ſperatus effectus obtineri poteſt: interim Apertio non modo

ad

ad craſſam *evacuationem* ſeſe extendit, ſed etiam *viarum* conſtrictarum & obſtructarum *reſerationem* reſpicit quo loco adhuc monemus, ne *craſſi* illi modi aperiendi tam ludrice ad *motuum* vitalium *qualitatem* & ordinem applicentur, quaſi vel *pondus* & *gravitas* certorum remediorum ejus *efficaciæ* ſit, quo vias *vi* quadam recludat & *renitente extenſione* aperiat, velut *mercurius currens*, magna quantitate aſſumptus, *alvum obſtructam* aperit: neque etiam tanta *credulitas* in Theoria medica hominum animos occupare debet, quaſi Aperientia *talia* dentur, quæ vaſorum & ductuum *cavitates poſitiva* quadam *vi pervadant* & transgrediantur adeoque *proxime*, *directè* & immediate easdem penetrent & *reſerent*, uti vulgo de *martialibus* traditur, quaſi in affectibus *hypochondriacis poſitivo* effectu aperiant, id eſt *pondere* & *ſpiculis* obſtructiones penetrent, *tranſcindant*, *transprimant*, uti in vernacula dicitur, durchſchlagen, durchtreiben, dieſes oder jenes medicament müſſe endlich durchſchlagen: cum rectius ex *Highmoro* in *tractatu de affectu hypochondriaco* conſtet, quod *martialia adſtringendo* & non vaſa perreptando aut penetrando *aperiant*: licet alii *marti* efficaciam *abſorbentem*, humores acidos *edulcorantem* fixos corrigentem & reſolventem imputent & ex hoc capite aperitivam vim eidem adſcribere malint: quæ aſſertio vero magis *ſuppoſita*, quam *demonſtrativa* eſt, dum ejusmodi aciditates *corroſivæ* hypochondriacæ *finguntur*, quæ ſi *hujus qualitatis* eſſent, quo *martem* aggrediantur & ſub hoc connubio ſeſe *ſaturent*, mirum eſſe omnino deberet, cur non *omnia viſcera* in abdomine *corrodant* & diſcerpant.

§. VIII.

Tradita hac *generali* animadverſione circa *Aperientium modum agendi* occupata, nunc brevibus ad ſpecialiora progrediemur: quod enim communes *quinque Aperientes* radices attinet, tunc illæ *minime* hoc nomine dignæ ſunt, cum

 nullo

nullo effectu *ſingulari prædominante* qualitate *aperire* deprehendantur: dantur tamen remedia, quibus virtus *aperitiva* propterea adſcribitur, quia humores *craſſiores* colliquare, attenuare & *reſolvere* adjuvant, ut ob hanc humorum *attenuationem* non modo *progreſſus* & tranſitus maſſæ ſanguineæ per corpus, ſed & *ſe-* & *excretoriæ* functiones *facilius* ſuccedant, eoque ipſo effectus *Apertionis* vario modo obtineatur; ſiquidem *fluidi* humores alios *ſpiſſiores* promptius *aſſorbent* & in ſuam fluiditatem recipiunt, aut ad infarctus *diſſolvendos* & liberandos facilius quadrant: quapropter *incidentia, attenuantia, reſolventia, colliquantia* Apertionem *facilitant*: inde etiam eſt cur temperatiora *diaphoretica* aperire adjuvent, quæ *impellente* & *reſolvente* ſuo effectu huc concurrunt; ex eodem *fundamento* fluit, cur remedia *motum* ſanguinis *augentia* effectum *Apertionis* adjuvent, dum vel *attenuationem* humorum promovent vel ſub *auctiori progreſſu* ſanguinis *mitiores ſtagnationes* diſſolvunt, aut quando de præſenti natura ad *apparatus excretorios* ſe accingit, tunc tale motus *progreſſivi incitamentum* & augmentum tantum aliquando juvat, ut *plenaria excretio* & expreſſio ſubſequatur, quæ deinde *Apertionis* inductæ teſtimonium prodit: & quoniam *diaphoretica poſitiva* remedia una humores *commovent*, inde etiam eſt, cur *talia* medicamenta vulgo in *obſtructionibus, ſtagnationibus*, *ſtaſibus*, *inflammationibus, infarctibus, ſcirrhis* &c. commendentur & ſi recte adhibentur, *non exiguum* adminiculum ad *Apertionem* inducendam conferant: porro *Aperitivam* vim habent *ſimplicia* remedia *diluentia*, non alio *operandi* modo quam maſſam ſanguinis *fluidificando* & attenuando, nec non *vias leniendo*, humectando & *relaxando*; quæ *diluentia* ſubinde præcedentes viarum *ſtricturas* emolliunt & *relaxant*, adeoque *acceſſui*, ingreſſui & tranſitui humorum *viam* pandunt: & hic modus adjuvandi & inducendi Apertio-

nem

nem non modo *ſimpliciſſimus* & *ſecuriſſimus*, ſed & *efficaciſſimus* exiſtit: ita præterea *aperitiva* virtus adſcribitur remediis *amaris*, quæ in *primas regiones colliquante* præcipue & *abſtergente* effectu operantur, dum *impuritates* in hiſce viis hærentes *ſpiſſores* ita præparant, quo *facilius* ſecerni & excerni queant, inde partes aperiuntur & ab *infarctibus* & ſic dictis *obſtructionibus* tam præſervantur, quam liberantur; non minus in experientia medica remedia *mitius adſtringentia*, ſive ita dicta *tonica* aliquando *Aperitivum* effectum edere obſervantur, qui *effectus* vero *illis* remediis minime *proprius* aut *ſimplex* eſt, ſed utplurimum ex *ſingulari* prudentis artificis *directione* profluit: etenim quando *natura* jam *proximius* ad aliquam *evacuationis* ſpeciem concurrit, ita ut *congeſtiones* ad *locum excretorium* ſufficienter *directæ* ſint, ut *ultima* tantum *expreſſio* deficiat; inde contingit, ut *ob* remedium tale *tonicum* oblatum natura in *illo loco*, ubi excretionem proſequitur, *ultimum conſtrictorium* tentamen ſuſcipiat & congeſtum ac *coacervatum* humorem *denique exprimat* & expellat, quippe *qui effectus* aperitivus reſpondet hiſce *ſpecialiſſimis* circumſtantiis, quæ in tali caſu adſunt: ex hiſce animadverſionibus hactenus traditis facilè liquebit, cur *Acidulis* & *Thermis aperitiva* virtus adſcribatur, quippe quæ aquæ tam *colliquante* & *abſtergente*, quam *diluente* & *humectante* effectu apertionem promovent: ita interdū *lenientia* & *emollientia* remedia *Aperitivum* effectum cauſantur, dum incongruas *ſtricturas* tollunt, adeoq; partes magis *amplificant* & *pervias* reddunt, quo neceſſarius *affluxus*, *refluxus* & *effluxus* circa illas ritè ſuccedat: ex *diverſitate* itaq; *cauſarum* ad obſtructiones diſponentium *diverſa remedia* differenti modo ad apertionem promovendam contribuunt & cooperantur: aliquando denique remedia *impellentia* & maſſam ſanguinis valdè *commoventia* aperitivum effectum nanciſcuntur, quæ vero quia *tanto impetu* operantur, non

ſatis *ſecura* ſunt: hinc ad *Hæmorrhagias revocandas* & reſtituendas velut *aperitivo* effectu, *crocata*, *myrrhata*, *volatilia*, *Elix. P. P.* commendantur, qualium remediorum *operandi modus*, illo loco jam explicatus fuit, ubi de *pharmaceutica Hæmorrhagiarum promotione*, ſub *Evacuantium* explicatione actum fuit, ut non neceſſe eſſe ducamus, quo eandem explicationem hoc loco repetamus.

§. IX.

Convertimus nos ad RESOLVENTIUM remediorum operandi ſive agendi modum & rationem, quippe qui modus ex aperientium tradita explicatione nunc facilius liquebit: *Reſolventia* vero proprie illa dicuntur, quæ in genere *ſpiſſiores* humores, maxime illos, qui ſufficienti *fluiditate* præditi eſſe debent *attenuant*, quo non modo libere in corpore *progredi*, ſed & facile, ſi neceſſe fuerit *evacuari* poſſint; quare *Reſolventia* remedia *humoribus* in œconomia *vitali* tractandis neceſſariam *mobilitatem*, *tenuitatem* & *fluiditatem* conciliant: hoc ipſum contingit, ſi *ſpiſſioribus* talibus materiis *illud adminiculum* primario redditur, per quod *tenuem*, *fluidã* & *mobilem* conſiſtentiam nanciſcuntur, uti ſufficiens commixtio totius maſſæ ſanguineæ cum *aqua* plurimum ad *attenuationem* humorum *ſimpliciſſimo* modo cooperatur: quo magis *terreſtres* & ſicci enim ſunt humores, eo minus promptè minusvè ſecure *reſolutio* per *alia* adminicula tentatur, quoniam illud *primarium* adminiculum deficit in humoribus, nimirum *humiditas*, quæ motum *progreſſivum* ſublevare debet, mediante quo *actualis Reſolutio* adminiſtrari poteſt: hinc temerarium, *ſuſpectum* & periculoſum eſt tentamen, quando artifices *ſpiſſum* ſanguinem cum remediis *ſubtilioribus* commoventibus, *calefacientibus* & ſic dictis *poſitivè Reſolventibus* aggrediuntur; inde enim excitantur *ſuſpecti orgaſmi* & variæ *turgefactiones* ſanguinis, ominoſi *infarctus* & *oppletiones*, quin plane periculoſæ *ſtagna-*

gna-

gnationes & *ſtaſes*; nulla vero contra *ſimplicior* & *ſecurior* methodus & ratio *Reſolutionis* adminiſtrandæ eſt, quam ſi humores ſufficienter *diluuntur* & *humectantur*; hinc *ſpiſſiores* materiæ, cum *fluidioribus* magis extenuantur & *diſſolvuntur*, propter eaque tota *maſſa* volubilior & *fluidior* evadit: & quoniam *Calor* ad humorum facile *coagulantium attenuationem* multum contribuit, dum ſubtili ſuo *inteſtino* motu impedit, quo minus moleculæ *mucilaginoſæ* facile & *intime coaleſcant*, ſed *à ſe invicem* detineantur, ita eximiam utilitatem ad inducendam, perficiendam & promovendam *Reſolutionē* habent *potiones* temperatæ *calidæ*, decocta & infuſa calida, quæ eapropter etiam facilius & *intimius penetrant*, hinc in *primarum viarum*, quin ipſorum *pulmonum* affectibus, qui Reſolutione indigent, multum utilitatis afferunt: quare cum *Excell. Wedelio* conſentimus, qui in *amœnitatibus Mat. med.* ubi de *thoracicis* agit, aſſerit, quod *Reſolventia* ſint *anima pectoralium* & plus proſint, quam *communia bechica*: interim hoc loco ad huc inter *Reſolventia* & *diſcutientia* diſtinguimus, de quibus poſterioribus inferius adhuc dicturi; propterea que nunc de *Reſolventibus* proprie tractamus, quippe quæ ad humorum *ſpiſſitudinem primario* directa ſunt: proinde *reſolventem* etiam qualitatem habent omnia remedia *ſubtilia ſulphureo-reſinoſa*, quæ *intimius* maſſam pervadunt, adeoque *cohærentes* moleculas ſanguinolentas diſſolvunt & *attenuant*: hinc omnia *diaphoretica*, *alexipharmaca*, ſic dicta *cordialia*, *nervina* &c. quæ hæc principia continent, ſunt reſolventia, quippe quæ dum non modo ſanguinis *motum augent* & incitant, ſed *ſubtilibus* ſuis principiis ſulphureis valde *mobilibus* reliquam maſſam ſanguinis *penetrant* & transgrediuntur, eo ipſo etiam *craſſiores* humores circulantes diſſolvunt: fruſtra vero *acidis* reſolvens virtus adſcribitur, quæ potius *adſtringunt* & *incraſſant*; *reprimente* vero effectu

diſcutiunt & diſſolvunt ; quare *aceta* illa *pharmaceutica* tam potenter, uti vulgo traditur, haud reſolvunt, niſi vel *additæ* ſpecies *alexipharmacæ* ſecundum prædictum modum reſolutionis effectum adjuvent, vel aciditas *acetoſa* ſubtili *ſtrictura*, quam cauſatur, ſtagnationum *repreſſionem* promoveat: *mixtum* itaque talem effectum habent, famoſa illa compoſita remedia, quæ *coagulationi* ſangvinis, aut *contuſioni* opponuntur, cujus conditionis eſt *pulvis* ille *contra caſum*; tales compoſitiones tam ex *adſtringentibus*, quam ſangvinem *commoventibus*, imo interdum etiam *lenientibus* remediis conſtant; ſed quis ita *credulus* fuerit, ut v. g. *Spermati ceti poſitivam reſolventem* vim adſcribat, ni illud *lenitione* ſua vi vel *ſpiſſiores* humores *emolliat*, ut facilius moveri, promoveri & emoveri queant, vel vias *ſtrictas* elubricet & *relaxet*, quo humores affluentes facilius transmittant, hinc in *oppletionibus* pulmonum & *adſtrictionibus* viarum urinariarum non modo hoc ſperma ceti, ſed & *aliæ pingvedines*, *gelatinæ* & oleoſæ ſubſtantiæ reſerant & effectum *Reſolutioni* æmulum poſt ſe relinqvunt; & quanquam *acetum* pro eximio *reſolvente* remedio declaretur, tamen effectus, qui reſolutionem æmulatur, utplurimum *longe alio*, quam *reſolvente* modo contingit, interim adhuc acetum *ſpirituoſa ſulphurea* principia continet, quæ *ſimpliciori* modo reſolutionem facilitant aut inducunt; quod denique de *abſorbentium* terreorum reſolvente qualitate traditur, illud haud *abſolutæ* veritatis eſt, ni talia remedia certis humoribus *ejusmodi conſiſtentiam* concilient, qua facile *aliorſum ferri* & è *priſtinis* locis, quæ hactenus detinuerant, *dimoveri* queant: unde remedia *abſorbentia*, *abſtergentia*, *diluentia*, *lenientia*, *colliquantia* quoad effectus ſuos *ſibi invicem* inſerviunt.

§. X.

Aggredimur nunc aliam ſpeciem remediorum *humores attenuantium* & ad facilem *commotionem* & *emotionem* diſpo-

diſponentium, nimirum medicamenta ſic dicta INCIDENTIA, quæ denominatio illum *modum* exprimit quo in materias ſubſtratas operari creduntur & traduntur: dicuntur itaque peculiari notione & notatione *Incidentia* remedia, quaſi ſubjecta *potentioris* efficaciæ, quæ in objecta *crudiora*, craſſiora & magis *refractaria* operantur & quæ nulla *ſimplici reſolutoria* commotione aut *dilutione* diſſolvi & attenuari poſſunt, quare tali inſtrumento *acuminato* & *incidente* opus eſſe, quæ efficacius & *intimius* penetrant: ob id *Incidentia* remedia, vi hujus denominationis ſtant in *correlatione* quadam, cum humoribus *ſpiſſioribus*, *tenacioribus*, mucidioribus; neque æque hæc remedia tam ſimpliciter cum *maſſa ſanguinea* commercium habent, ſed rectius cum humoribus *mucido-ſeroſis* in *inteſtinis*, *primis viis*, quin ipſis etiam *pulmonibus* obhæreſcentibus & afflictiones ſuas cauſantibus, quales *ſpisſiores* materiæ quoniam *ſubtilioribus* reſolventibus medicamentis non obtemperant, ob id *potentiori* & efficaciori aggreſſione & *ingreſſione* tractari & ſubjugari merentur: ſtante hac *allegoria*, quæ *Incidentia* medicamenta concernit, jam *vulgata* opinio, quæ inter *phyſicos* & *chymicos* floret & fluctuat, de *ſalibus*, mox præcedenti animadverſioni ad latus ponenda erit, videlicet, quod *ſalia* nil niſi *aculei*, *haſtæ* & *cuſpides*, ſive *gladioli*, *mucrones*, *pugiones* &c. exiſtant, quæ in ſubſtratas materias operantur; & hæc non alia *efficacia* eſt, quam colliquans atque *diſſolvens*; quando enim hæc *ſalina* remedia cum aliquali *humiditate* ſolvuntur, tunc in ſubſtratos humores *mucidos ingreſſum* nanciſcuntur, quos mediante *aquoſo* vehiculo efficacius *penetrant* & attenuant: cur vero *non omnia* ſalina ſubjecta hac *inciſoria* vi prædita ſint, ſed quædam etiam mucoſitatem *coagulent* & in ſpiſſiorem ac *viſcidiorem* conſiſtentiam convertant, *nondum* inter phyſicos & chymicos *ſatis*

ſolide

ſolide & *perſpicuè* demonſtratum eſt; unde in *ſubtiliorem* modum operandi, quo *ſalina* quædam remedia *incidunt*, deſcribendum non delabimur, ne *obſcura*, inutilia & vana proponamus; eſt interim *relatio* materiarum *ad ſe invicem* multiplex, in qua recte agnoſcenda & comprehendenda longe majori ſtudio rerum phyſicarum indagatores ſolliciti eſſe debent, quam in eruendis obſcuris, ſubtilibus & *intricatis* cauſis, ſive ſcientiis τȣ̃ διότι operoſi: inde etiam eſt, cur per *aſſimilationem*, ne medici nihil dixiſſe videantur, quædam remedia *incidentia* nuncupentur: vera enim *proxima* & *ſimplex* ratio cur *acida coagulent* & *amara incidant*, omnes *phyſicos* & *chymicos*, quod *cum illorum pace* dictum eſſe volumus, alte & conſtanter *latet*: neque in hoc defectu *microſcopia* utilitatem aliquam unquam hactenus attulerunt, cum quibus forte *figuræ* ſalinarum particularum explorari debuerant: neque etiam exacte deſcribi poteſt, quo *motu incidentia* operentur, an videlicet ſalia illa incidentia in *humores* inſultent, hosque *pungant* & *quisnam* genuinus *impulſor* ſit, qui hæc ſalia in motum transferat, id certe *adeo perſpicue* demonſtrari non poteſt, neque æque hæc *demonſtratio*, ſi quoad omnia requiſita vera eſſet, *tantam utilitatem* arti medicæ afferret; quare merito *à tantis ſpecioſis* & inutilibus ſubtilitatibus abſtinemus: illud ad minimum ex *effectu*, (quoniam rationes *à priori* deſunt & ſpeculatorem deſtituunt, ni quisquam *nomina fingere* & *obſcura principia* obtrudere & ſupponere adeoque per *petitionem principii* philoſophari malit,) colligere & obſervare licet, quod cum *humiditate aquoſa* ſoluta talia *ſalia* facilius & efficacius operentur & quidem per *modum* ſic dictæ *inciſionis*, *attenuationis* & diſſolutionis: hinc *ſalia fontana*, cum *aqua extenuata* citius *incidunt*, quam *pulverulenta*, inde eſt cur *acidulæ*, *thermæ*, *ſal anglicanum*, *ſalia tartariſata*, *ſal mirabile*, *citius* & *potentius* incidant,

quam

quam ſalia *fixa, pulverulenta* & *communia digeſtiva*: exinde concludimus, quod hunc *Inciſionis* effectum multum *allevet* & promoveat materiarum *tenacium* & ſpiſſarum ſufficiens *humectatio* & dilutio: habent vero etiam *incidentem* talem qualitatem ſubjecta *ſalino-ſulphurea* & quidem *ſubtilia*, neque admodum fixa, quæ per motum *caloris* adeo *impelluntur*, ut materias *ſpiſſiores*, quas offendunt efficacius incidant & *diſſolvant*, hujus indolis ſunt *Zingiber*, *arum*, *ſquilla*, *Synapi*, *cepæ* & diverſa *acria* & ſimul *amara* ſubjecta, velut *Cochlearia*, *Fumaria*, quorum principia ſubtilia ſalino-ſulphurea facilius per motum caloris exaltantur & in materias circumjacentes mucidas projiciuntur: quod vero talia ſubjecta incidentem ſuam efficaciam in *pulmones* & *renes* extendant, ex illa *ſpeciali relatione materiarum* ad ſe invicem fluit, qua *una* materia *in alia* facilius hæret, aliam facilius alterat & *cum alia* facilius *congreditur*.

§. XI.

Brevibus etiam aliqua de ABSTERGENTIBUS notare lubet: hæc enim in tantum Evacuantium numero eximere placet, in quantum materias *excrementitias* ad faciliorem evacuationem *præparant*: hæc præparatio vero in illo effectu conſiſtit, quod has *inutiles* materias, partibus *ſolidis* adhærentes, abſtergentia *diſſolvant* & ab hoc *nexu* liberent: adeoque *Abſterſio* vi vocis nihil aliud eſt quam materiæ inutilis *ſeparatio* & remotio à *partibus* & *organis* vitalitati inſervientibus, ne materia talis ſucceſſive vel partium illarum *ſtructuram* lædat, vel *uſum* earundem impediat & ſufflaminet: & talis *Abſterſio* vel *internè* vel *externè* ſuccedit: in *genere* quidem *Abſterſio medica* & pharmacevtica involvit *remotionem ſpiſſioris* & ſimul impurioris materiæ à partibus *ſanis* & integris, aut etiam à partibus *exulceratis* unde in *phthiſi* & *hectica*, ſive in *ulceratione pulmonum* aliarum-

que internarum partium abſtergentia remedia locum inveniunt; quemadmodum etiam *externæ* ulcerationes ſuperficiales *refractariæ* & valde impuræ *efficaciori* quadam Abſterſione interdum indigent: eſt vero effectus abſterſorius *diverſus*, prout circumſtantiæ variant: etenim quando partibus *glandulofis*, poroſis & *cribroſis* in-& adhærent *ſpiſſiores* impuritates, tunc communiter *prædicta incidentia* remedia *abſterſoria* qualitate prædita ſunt, dum ſoluta ſalia *viſcoſitatibus* ſe inſinuant, hasque *diluunt*, eluunt, *diſſolvunt* & *mobiles* atque volubiles reddunt, quo poſthac facilius transprimi & ſeparari queant: & hujus facultatis ſunt *ſalia* illa famoſa *deterſiva amara* & lixivioſa: quin ipſa illa ſalia *ſaponaria alcalina* ejusdem utilitatis ſunt, quæ cum *acidis* & *bilioſis* inquinamentis *primarum regionum* congrediuntur, ut ſub *motu* hoc, quo *acida* & *alcalia* inter ſe conveniunt, impuritatibus illis aceſcentibus *mobilitas* concilietur & hinc *heterogeneæ* tales ſubſtantiæ facilius *removeri* & *emoveri* queant: non minus ſubjecta pharmacevtica cum materiis *ſpiſſioribus* & ſimul impurioribus in corpore humano modeſte *fermentantia*, *abſterſiva* hac virtute prædita ſunt, qualia ſunt *dulcia*, *mellita*, *prunata*, *paſſulata*, *mannata*, *tamarindinata* & ſimilia: quin ipſa etiam *therebinthinata* mediante *ſulphureo-reſinoſa* & *ſalina* ſua ſubſtantia, alias *ſpiſſiores*, mucido-feroſo-lymphaticas materias *diſſolvunt*, *colliquant*, *attenuant*, eoque ipſo abſterſionem adjuvant, non alio quam tali diſſolutorio & reſolvente modo atque effectu: ad hunc *abſterſorium* effectum vero ex *una* quidem parte *remedium*, ex *altera* vero, *natura* concurrit, *illud materiam* peccantem *alterat*, colliquat & reſolvit, *hæc* eandem poſthac *è viis* atque *partibus* proprimit & *ultimum* abſterſionis *effectum* committit: Proinde etiam dantur *externa abſtergentia*, quæ ſordes *viſcidiores* ab ulceribus removent, *non alio* operandi modo, niſi vel *ſpiſſas* materias *reſolvendo* & *ſubtili* atque efficaci motu

per-

pervadendo, vel *fermentativa* commotione *colliquando* & penetrando, vel *ſeptica* quadam qualitate *corrodendo* eoque ipſo in *mobiliorem* conſiſtentiam convertendo: hujus indolis ſunt decocta *amara* & *therebinthinata*, *mellita* & *corroſiva*: ſimili etiam ratione & operandi modo *mellita* remedia *ulcera pulmonum*, *hepatis*, *renum* abſtergunt & *repurgant*, dum mediante *ſanguine* ad prædicta loca pertingunt, cum *impuritate* ulceroſa *acetoſa* congrediuntur & *ſubtilem fermentativam* commotionem ſuſcipiunt, eoque ipſo hanc ſaburram ulceroſam *mobiliorem* reddunt, quo ab *affectis* partibus facilius *ſecedat*, ut aliqualis *repurgationis* effectus conſequatur: tanto magis vero hic *Abſterſionis* effectus facilitatur & promovetur, quando ſufficiens *humectatio* conciliatur, ubi *ſpiſſiores* impuritates una *eluuntur* & cum remediis ſic dictis abſtergentibus in *fluidiorem* conſiſtentiam convertuntur: præterea etiam *Abſterſoriam* vim habent *teneriora mucilaginoſa* & *gelatinoſa* remedia, quæ cum conſiſtentiâ ſuâ *ſpiſſiuſcula ſubtiliores ſalinas*, *ſulphureas* aut *bilioſas* ſubſtantias, *intimius* & ſubtilius partibus *tunicaceis* & *membranaceis* adhærentes, *involvunt*, implicant & *eluunt*, ut deinde eò melius, *citius* & facilius à partibus illis *ſeparari* & ut vulgo dicitur *abſtergi* poſſint: hinc in *tuſſi acri*, *catarrho rhevmatodeo*, *rhevmatiſmo*, affectibus *cholericis* talia abſtergentia *ſimplici*, ſed ſatis efficaci, *ſecuro* & utili modo conducunt: denique *ſingularis* ille modus abſterſionis eſt, quando oblata quædam *ſalina* remedia non modo diverſas materias *colliquant*, ſed & *partes* continentes & contiguas *ſtimulant*, quo ad eaſdem *copioſior humiditas* advehatur & cum hac contentæ materiæ *ſpiſſiores emolliantur* & mobilitentur, quo denique eo facilius ab illis partibus, in quibus hactenus hæſerunt, removeri & abſtergi queant: ex quibus animadverſionibus nunc liquet, quam *diverſus* ſit *modus*, quo ſic dicta remedia abſtergentia operantur, prout

ut ipſæ *cauſæ* & occaſiones, abſterſionem requirentes, diſcrepant.

§. XII.

Progredimur jam ad ABSORBENTIA remedia, quæ ſingularem *uſum* & *utilitatem* in Medicina Practica habent, quorum modum operandi, ne quisquam *ſiniſtrè* illum interpretetur, noſſe etiam expediet: eſt vero Abſorbentium *appellatio* iterum *analogica*, ubi minime ſibi quisquam perſuadere debet, quaſi Abſorbentia remedia *ſimplici* & *communi* quodam effectu alias materias *devorent*, ingerant & in *ſuam ſubſtantiam* convertant; vel quaſi *vaginæ* inſtar alia *ſpicula* ſalina in *cavitates* ſuas recipiant, recondant & occludant, ut hæc *ſalia* ſylveſtria, peregrina & *inimica* corpus afficere & lædere haud queant: illud vero *in genere* ſciendum eſt, quod hæc *Abſorbentia* medicamenta aliarum materiarum *præcipites noxias* efficacias hebetent, enervent, *obtundant* & velut *reſorbeant*, ne *ſui juris* maneant & in ſimplici *concentrata* ſua qualitate noxam pariant: hinc talia Abſorbentia ſubjecta, aliarum materiarum *eſſentiam* quidem *non immutant* aut invertunt, ſed *priſtinam* illarum *qualitatem* variant, ne *adeo nociva* & ſuſpecta ſit: hac ratione hæc *Abſorbentia* remedia *variis* aliis operationibus *therapevticis* ſubſerviunt & *Abſtergentibus*, *Aperientibus* & nonnullis aliis *cooperantem* ſuam utilitatem conciliant: ſunt itaque *Abſorbentia* medicamenta utplurimum *terrea inſipida* corpora, quæ propterea cum nullo ſpeciali & *ſpecioſo ſalino* principio operantur, niſi quisquam *calcareo-alcalinam* ſubſtantiam accuſare velit, quæ tamen in *ſimplici* & communi *Abſorbente* & refracta illius doſi admodum *exigua* & vix notatu digna eſt; unde rectius cum *terreo* ſuo principio *phyſicum* illum effectum ſic dictum *Abſorbentem* perpetrant: *congrediuntur* itaque *Abſorbentia* ſecundum effectum, nomini ſuo competentem, cum materiis *ſalinis*, *acribus*, *acidis*, ſtimu-

mulantibus & nonnunquam plane *corroſivis*: & ſicut *incidentia* & quædam *abſtergentia* remedia *ſalinæ* indolis ſunt, quæ aliquando cum *inſipida* tenaci mucoſitate commercium habent, ita viciſſim *Abſorbentia inſipida* cum materiis *ſalinis* pugnant: & tales materiæ nonnunquam in *partibus* hærent, aliquando *per humores* ſunt diffuſæ; uti nonnunquam *ſerum acre*, valde *ſalſum*, per *maſſam ſanguineam* diſperſum per *Abſorbentia* remedia *emendatur*: & quemadmodum ad interna & externa *ulcera* tale *acre* ſerum affluens corruptionem *auget*, aut quemadmodum *ipſa* talis ulceratio ejusmodi *acres* humores *generat*, ita proinde in tali afflictione *Abſorbentia* medicamenta non exiguam utilitatem habent: nititur vera Abſorbentium *operandi modus* illa *relatione* & combinatione, qua *acidæ* materiæ erga *terras macras* & ſiccas ſeſe habent: inde è *chymicis* ſimpliciſſimis experimentis conſtat, quando vel magis vel minus *concentrati* liquores *acidi* cum *terreſtribus* talibus corporibus commiſcentur, hinc contingit, ut *acidi* illi liquores *terras* adjectas *diſſolvant*, corrodant, cum hiſce congrediantur, *ſuperficietenus* iisdem adhæreſcant, ut nunc *craſſior* quædam mixtio ſuccedat, quæ tamen *facile* iterum *diſſolvi* poteſt; quare *quælibet* molecula ex *acido* & *terreo* principio conſtat, unde etiam impoſterum *acidum* illud menſtruum non amplius *ſui juris* eſt, ſed *corroſivam* ſuam *efficaciam*, *ſaporem*, *odorem* & ex parte etiam *colorem amittit*: etenim *ſapor* acidus & *effectus* corroſivus *infringuntur* & hebetantur, quod *idem eſt*, ac *acidæ* materiæ adjectam *terram abſorbeant*, i. e. in nexum & *mixtionem* ſuam complectantur: & hic eſt modus, quo eadem *Abſorbentia* etiam in corpore *vivo* operantur, ubicunque enim illa tales humores *acres*, ſalinos, acidos, *corroſivos* & *bilioſos* offendunt, ibi hi eadem aggrediuntur, *ſolvunt*, *abſorbent*, ſed eo ipſo in ſua *acrimonia* minuuntur, ut proinde connexæ *ſtimulationes* eviléſcant & varii *pernicioſi*

cioſi effectus extinguantur: & hic effectus longe *ſimplicior* & evidentior eſt, quam ſi *obſcurum* quoddam *ſulphur* aut *ſal* in *Abſorbentibus* accuſare velimus; *moderamine* vero opus eſt, ſi *Abſorbentia Aperientibus* inſervire debent, cum facili negotio evenire poſſit, quo ſub *liberaliori illorum* ordinatione ſuſpectæ *impaſtationes* & *incraſſationes* inducantur; in quocunque itaque affectu aliqualis *vera acrimonia* adeſt, ibi *Abſorbentia* remedia *genuinum* illum effectum edunt, per quem *Abſorbentia* audiunt: neque æque neceſſe eſt, quo ſemper in aliquo morbo *craſſa aciditas*, ſalſedo aut *acrimonia* adſit, cum Abſorbentia corpora *ſucceſſive*, leniter, *ſubtiliter* & efficaciter *remiſſius acidis* liquoribus combinentur, uti hujus veritatis multiplicia tam *œconomica*, quam *ſpecioſius* artificialia & *chymica* experimenta proſtant.

§. XIII.

Ad ANTISCORBUTICA remedia horumque modum operandi procedimus, ubi brevibus præmonemus ne in *ſcorbuto* accuſando & *antiſcorbuticis* remediis *fingendis* faciles & pronos nos exhibeamus, ſed ſecundum hujus affectus *indolem* & *qualitates* prudenter judicemus: etenim *ſcorbutus* eſt morbus plane *ſpecificus*, quare *antiſcorbutica* remedia *ſpecialibus* qualitatibus prædita ſunt; quæ licet etiam in *aliis* affectibus *aliquam* opem afferant, tamen iisdem non cum *tanta* efficacia & *proximiori convenientia* proſunt, ac *ſcorbuto* prodeſſe deprehenduntur: & ita quidem *ſcorbutus* eſt malum *complicatum*, conſiſtens in *lenteſcente* ſanguinis *ſpiſſitudine*, ſeri *acrioris* copioſa collectione & *deficiente* mixtione cum ſanguine; ſive ut *Hippocrates* in *Libr. de Priſca Medicina* de ſalibus dicit: *ubi quid horum ſecretum, atque ipſum in ſe ipſo fuerit, tunc & conſpicuum eſt, & hominem lædit*: hinc *antiſcorbutica* talia ſunt remedia, quæ *lenteſcentem* hanc ſanguinis *ſpiſſitudinem* diſſolvunt, *lympham* & mucoſitatem *coagulatam* intimius

mius *attenuant*, ſerum etiam *acre liquant* & fundunt ſive *reſolvunt* & ad faciliorem *ſe* & *Excretionem* præparant: pro hoc ſcopo vero non *communia Reſolventia* & colliquantia remedia ſatisfaciunt, quæ *lenteſcentem* illam ſpiſſitudinem *non ſatis intimè* ingrediuntur atque penetrant, neque etiam propterea hæc Antiſcorbutica *ſpecialia* remedia tam *facile* aut *liberaliter* aliis ſanguinis *ſpiſſitudinibus* & ſimplicioribus & communioribus opponenda ſunt, ni ſuſpectas *ſpumefactorias* ſanguinis commotiones cauſari debeant, unde & uſus & *modus operandi* Antiſcorbuticorum remediorum ſingularis & *ſpecialis* eſt: requirit vero *lenteſcens* ſpiſſitudo ſanguinis non *debilia*, ſed *efficacia* remedia, unde vulgo dicuntur *Antiſcorbutica* remedia cum *ſale acri volatili* prædita, quæ eo *potentius*, eoque *intimius* alios humores invadunt & *penetrant*: quando itaque hæc *ſalia ſubtilia* & mobilia in corpore *ſolvuntur*, & cum *caloris* motu impelluntur, tunc maſſam ſanguinis *ſpiſſam* & *ſerum acre* mucilaginoſum potenter invadunt, ſubtiliter & *efficaciter divellunt* atque diſſolvunt, quæ ſalia cum de *volatili* qualitate participent, ita non modo *facilius* humores *ſpiſſos* ſimplices aggrediuntur, ſed & in *ſalſedines fixas* ſcorbuticas æque facile operantur, adeoque dyſcraſiam *ſeroſam* & connexam *ſpiſſitudinem* ſanguinis ſpecialem efficaciter alterant & invertunt; & quanquam *alia reſolventia* remedia in ſcorbuto non ita *penitus inutilia* exiſtant, tamen *tantum* non efficiunt, ac *hæc Antiſcorbutica* remedia, quorum ſalia in *mucilaginoſo-ſeroſam* ſubſtantiam *magis*, quam *in ſanguinem* ſimpliciorem operari deprehenduntur, hinc in ſcorbuto non tam facilè *orgaſticas* commotiones cauſantur, ac *alia* reſolventia *ſulphureo-ſalina* remedia, quæ *plus* de *ſulphureo* principio participant, quod efficacius ad inteſtinas *ſpumefactorias* commotiones concurrit; contra in *Antiſcorbuticis* remediis

ſali-

ſalina principia *præ ſulphureis* abundant, unde magis *colliquantem* efficaciam habent: non vero propterea *omni ſulphureo* principio deſtituta ſunt, ſed *ſubtile* & ſatis *efficax* tale ſulphur poſſident, teſtimonio *fumariæ* & *Cochleariæ*: ſed hæc ipſa etiam *Antiſcorbutica* ſi adhibentur *liberali* manu aut *indiſcreto* uſu in ſubjectis *floridioris* ſanguinis & mobiliorum humorum, imprimis in *infantibus*, tunc per hoc ſuum copioſum ſal *acre* ſubtile *immoderatqs* commotiones *turgefactorias* cauſantur; ex quo phænomeno liquet, *quantæ efficaciæ* talia remedia ſint, quæ *ſpecialius ſcorbuto* oppoſita eſſe deprehenduntur, quæ propterea *non promiſcuè* ordinanda ſunt: neque etiam tam *facile* ſcorbuti præſentia accuſanda, ubi *alia* calamitas *morboſa* affligit, alias hæc *Antiſcorbutica* remedia ſecundum ſuum *ſpecialem* modum operantia veram & *genuinam cauſam* non aggrediuntur & ita *contrarios* effectus edunt, aut ad minimum illa *circumſpectio* adhiberi debet, ne *efficaciora* talia Antiſcorbutica medicamenta nimis *ſecure* nimisve *copioſe* exhibeantur, quæ regula præter alios morbos etiam præcipuè in *affectu hypochondriaco* ſervari debet, quam *potens* & *intimius* ille operandi modus remediorum *Antiſcorbuticorum* facile *moleſtè* afficit & *exacerbat*, ni cum remediis talibus exactum *moderamen* ſervetur: de reliquo non parum hunc *Antiſcorbuticorum* modum operandi ad *ſalutarem* effectum promovent *diluentia* adminicula, quæ *ſpiſſos* humores humectant & emolliunt, ſeroſos vero *acres* temperant, extenuant & in ſua *acrimonia enervant*: neque vero tantum hæc Antiſcorbutica medicamenta humores *alterant*, ſed eo ipſo *naturam* alliciunt & invitant, quo *præparatos* tales humores melius & *facilius excernat*, quid quod ſubinde *propter hoc ſal acre*, quo Antiſcorbutica gaudent, *diureſis* exſtimulatur, ut *ſerum abundans* copioſius excernatur, eoque ipſo hæc *dyſcraſia* emendetur: hinc remedia

dia illa *ſeroſis* evacuationibus *facilitandis* & ex parte *exſtimulandis* inſerviant: quippe qui *modus* ille eſt, qualem hactenus indicavimus, quo *Antiſcorbutica* remedia *operari* ſolent.

§. XIV.

Ne vero famigerata illa EDULCORANTIA remedia oblivioni tradamus, illorum hoc ordine mentionem injicere placet; antequam etiam horum operandi modum explicemus, neceſſe eſſe judicamus, quo à *plebejo* illo *Edulcorantium* ſenſu diſſuadeamus, quoniam ſimplex *dulcificatio* corporis per hanc qualitatem nullam *directam utilitatem* habet: Verſatur vero *Edulcoratio* circa humores *acidos*, *auſteros*, *acres*, ſive ut juxta *communem ſtylum* loquamur circa *acrimoniam* ſangvinis, quæ quia in ſe ſpectata à *naturali* & *ſana* craſi diſcedit, adeoque vario modo ad *corruptionem* diſponit, ſubinde etiam *partes* corporis *textas* & *ſtructas* moleſte afficit & *ſtimulat*, imo *teneras* & ſubtiles partes *membranaceas* plane aggreditur & *corrodente* quodam effectu violat, propterea in eadem *prava* & *vitioſa* qualitate aliquali alteratione & *correctione* indiget; & hæc emendatio ab *oppoſito* ſuam denominationem nacta eſt, ſicut vulgo *aciditati* & acrimoniæ *dulcedo* opponi ſolet; *medico* vero ſenſu illa *edulcorantia* appellanda ſunt, quæ *ſalinam* humorum *dyſcraſiam* eousque *emendant*, quo naturalis & *ſana craſis* iisdem humoribus *reſtituatur*; ubi fruſtra *dulcis* ſapor & qualitas humoribus conciliatur, quoniam ipſæ *dulces* ſubſtantiæ facile *aceſcunt* & in ſimile *corroſivum* acidum degenerant: neque tamen propterea homines, de vita *nimium ſolliciti*, dulcia penitus *reformidare* & exhorreſcere debent: *Edulcorantia* vero ſenſui & uſui *medico* accommodata non *meliora* ſunt, quam quæ *impuritates* illas, quotquot ſanguinis *dycraſiam* induxerunt, removent & educunt & hoc nomine *omnes* evacuationum ſpecies *edul-*

corantem effectum habent, dum corpus & præcipue *humores* ab illis materiis, quæ *acrimoniam* & qualemcunque aliam *ſapidam cacoſin* cauſantur, liberant: quæcunque etiam conſilia & auxilia *præcavent*, quo minus materiæ *acres*, *ſalinæ*, *ſulphureæ* nimia quantitate intra corpus ingerantur, illa *remotivè* operantur, quo humores *edulcorentur*: aut quæcunque adminicula *excretiones* tali *proportione* promovent, qua *ingeſtionibus* reſpondent, illa *edulcorantem* effectum habent: & hic *ſimpliciſſimus* edulcorationis modus eſt, qui œconomiæ *vitali* exactè convenit & *rationi* æque ac *experientiæ* exquiſitè quadrat: quodſi etiam artifex quamcunque aliam *ſpecioſam* methodum *edulcoranti* effectui deſtinatam adhibuerit, hac *præcedente* neglecta, tunc cura mere *palliativa* & fucata eſt, ſiquidem impuritates ſalinæ modo *quadantenus involvuntur* & *noxius* illarum effectus *retardatur*, ſed eo ipſo ſub mixta & *confuſa* tali qualitate & conſiſtentia eædem *accumulantur*, ut denique *involucrum* & vehiculum talium *heterogeneitatum* una cum *principali* materia *peccante* corrumpere & *nocumentum* ſuum *diſſeminare* inchoet, ut *ultimus dolus* malignitate ſua *priorẽ* ſuperet: ex eo inferimus & *demonſtramus*, quod ſecurus & *ſincerus* Edulcorationis modus atque effectus in tempeſtiva & legitima *impuritatum evacuatione* conſiſtat; reliquus enim edulcorationis modus ad hunc *principaliorem* collimat: ita enim *Edulcorantia* quædam operantur dum *abſorbent acidas*, *bilioſas* &c impuritates, quo ſenſu, uſu atque effectu *abſorbentia* Edulcorantium numero accenſeri poſſunt, per hæc enim remedia illarum heterogeneitatum *acredo* corrigitur & infringitur, quo minus *noxios* ſuos effectus exſerere queant: eadem ratione *diluentia*, *humectantia* edulcorantem efficaciam habent, dum partim *ſalinas acres* impuritates *extenuant* & dilutione tali infringunt, partim ad *faciliorem*, citiorem & copioſiorem *evacuationem* præparant:

ejusdem cenſus atque valoris ſunt *gelatinoſa* , *mucilaginoſa*, *pinguia*, *lacticinia*, *pultacea*, *emulſiva* & quælibet *ſimpliciora oleoſa* & *lenientia*, quæ ſingulas illas materias quales humoribus *acrem* & ſalinam *dyſcraſiam* conciliant, *involvunt*, demulcent, elubricant & coercent: *proprie* vero ſic dicta *dulcia* & Edulcorantia hoc loco *longe minimam* ſibi vindicant partem, cum magis *phyſico*, quam *medico* uſui reſpondeant: quicquid tamen *interdum* dulcia pro hoc ſcopo conferunt, mediante *mucilagine* ſua connexa efficiunt: ſed cavendum etiam eſt, ne ex *ſiniſtra interpretatione* & applicatione edulcorantium *falſæ* deinde *theoriæ* conficiantur, quale quid evenit, quando per *internum lactis* uſum nonnunquam *ſpaſmodici* affectus *mitigantur*: ubi fruſtra quidam ad *ſimplicem Edulcorantem* lactis effectum provocant, aut ſalia illa *ſtimulantia*, pungentia & *rodentia* in ejusmodi affectibus accuſant, ubi *ſimplex lenitio* majoris *valoris* eſt in tali effectu, quam *ominoſa* illa & *abſtruſa Edulcoratio phyſica*, quæ ſatis ſæpe concurrentibus circumſtantiis non reſpondet: error vero hujus malæ Edulcorantium interpretationis & explicationis exinde proveniſſe videtur, quia *Edulcorantia* remedia de *tenui mucilagine* participant, quæ cum *acidis* principiis mixta *dulcem* ſaporem cauſantur, unde quidam *dulci* ſapori vim *medicam* adſignarunt, *lenientem* vero & involventem *mucilaginoſæ* ſubſtantiæ qualitatem *neglexerunt*, inde factum ut edulcorationis effectus hominum animos occupaverit, **man müſſe das Geblüt verſüſſen** : huc pertinet, quod juxta communē æſtimationem *dulcedinis* benignitas & *ſuavitas* præferatur, *aciditatis* viciſſim *malignitas* declametur, ut propterea & varii medici & reliqui homines Edulcorationis methodo, juxta *plebejum* hunc ſenſum ſubſcribant, cum tamen per juſtas *evacuationum* promotiones *optima Edulcoratio* obtineatur.

§. XV.

Placet etiam hoc ordine DISCUTIENTIUM remediorum mentionem facere, illorumque modum operandi indicare; præmonemus vero quod inter *Diſcutientia*, *Reſolventia* & *Aperientia* aliqualis *convenientia*, ſed etiam viciſſim quædam *diverſitas* intercedat: hoc *diſcrimen* in eo conſiſtit, quod *Diſcutientia* magis commercium habeant cum *contumacibus ſtagnationibus*, *ſtaſibus*, *obſtructionibus* & *inflammationibus*, quam Reſolventia & aperientia; deinde diſcutientientia etiã magis ſeſe ad *topicum* uſum extendunt, quam reliqua, licet diſcuſſio etiam per *modum reſolutionis* procedat: ita enim non exiſtimandum eſt, quaſi *internus* diſcutientium uſus *talem* effectum involvat, quod remedia hujus nominis ita ſimpliciter ad *locum affectum* pertingant & in illo cum aliqua *vi* materias hærentes & extra legitimum *progredientem* & tranſeuntem motum conſtitutas, *diſſipent*, diſpergant & diſtrahant, ſed modus *internæ* diſcuſſionis alterius eſt conditionis, *Diſcutientia* enim remedia communiter & *primario* participant de principiis copioſis & *ſubtilibus ſulphureis*, quæ ſi liberata & *attenuata*, inſuperque in *maſſam ſanguinis* recepta fuerint, excitant & *augent* motum *inteſtinum* in ſanguine, qui per ſe ad *attenuationem* & *reſolutionem* imo connexam *diſcuſſionem* materiarum *mixtarum* & *occluſarum* contribuit: proinde vero etiam incitatur & *augetur* motus *progreſſivus*, ſub quo augmento *ſtagnationes* reſorbentur, *ſtaſes* reſerantur, humores *occluſi* & in *progreſſivo* ſuo motu impediti *ſucceſſive* abſterguntur & *avelluntur* in ſanguinem *alluentem* recipiuntur iterumque in *priſtinum motum* atque *progreſſum* reducuntur, ut *conſequenter* Diſcuſſio ſuccedat: tanto facilius hoc contingit, ſi ad *locum affectum* à natura *particulari directione* & proportionata activitate humorum *affluxus* congeritur, ſub quo vegetiori & *efficaciori* affluxu humores *ſtagnantes* aut in *ſtaſin* dela-

delapſi ſucceſſive in *circumferentia*& ambitu ſuo abraduntur & *reſorbentur*, donec hæc Diſcuſſio *meditullium* ſtagnationis & ſtaſeos attigerit, adeoque penitus ad *ſalutarem* & neceſſarium effectum & eventum pertigerit: & in hoc *interno* diſcutiendi modo *natura* humana perquam *operoſa* eſſe deprehenditur, quæ *motus* eo *dirigit*, quo *Diſcuſſionis* effectus *conſequatur*, nudus enim humorum *impulſus* non abſolvit negotium & æque facile ad *ſtagnationes* & *ſtaſes* inducendas, confirmandas & *augendas* contribuit, ac *diſcutiendas* & diſſipandas, ni *natura* remediorum diſcutientium *efficaciam phyſicam* tam in genere *dirigat*, ne *noxam* pariat, quam ſeorſim ad *locum affectum* applicet, quo *ſalutaris* effectus proveniat: haud enim ullo jure, ullave ratione ex *merè phyſicis* & *mechanicis* cauſis, excluſo hoc *palmario* naturæ concurſu, *Diſcuſſionis* effectus deduci & explicari poteſt, ni craſſis *ſuppoſitionibus* & *petitionibus principii* quisquam contentus eſſe malit, præprimis cum virtus Diſcuſſoria *remediis* hujus nominis non ſit *abſoluta*, quoniam hæc *remedia* in *humoribus* primario & *ſimplici* ſua efficacia per *modum* & *motum phyſicum inteſtinam* commotionem augent, quæ licet *reſolventem* effectum poſt ſe trahat, tamen *altioris* momenti eſt, quomodo hic reſolvens effectus ad *locum affectum* promoveatur, aut quomodo tam diu *continuet*, donec ad locum affectum pertingat, quomodo præſentem *ſtagnationem* & *ſtaſin* aggrediatur, quomodo *vi* ſua *phyſica* cum juſta *proportione reſpondeat afflictioni*, nam ſi inter *τὸ reſolvens* & *reſolvendum* nulla *proportio* intercedit, *fruſtra* tunc expectatur *ſalutaris* effectus & eventus: quod *externa* diſcutientia attinet, tunc illa communiter *non alterius* indolis ſunt, quam *ſulphureæ*, *ſpirituoſæ*, *ſalinæ*, quæ partibus affectis *immediate* applicata illarum *tonum augent* & *nervina* virtute roborant, inde evenit, ut *ſubterjacentes ſtagnationes* aut *ſtaſes* humorum efficacius *transprimantur* & ſub

ortiori tonica partium *conſtrictione* diſſolvantur, *divellantur* & ita *diſcutiantur*; vel hæc principia *ſubtilia* & volatilia *intrant poros* affectarum partium & cum ſaguine *alluente* ſe *commiſcent*, proinde motum *inteſtinum* augent, præſentem *ſtagnationem* & *ſtaſin* potentius invadunt, aggrediuntur, *ingrediuntur*, reſolvunt, *diſſolvunt* & diſcutiunt: id quod tanto facilius contingere poteſt, quo *proximius* hæc *ſubtilia* & mobilia principia præſentem labem *attingunt*: fruſtra itaque *extrinſecus* talis diſcuſſio tentatur, ubi ſtagnatio aut ſtaſis *intrinſecus* hæret, ad quam *intimiorem* regionem remedia diſcutientia *non penetrant* inde colligere licet, quid *Diſcutientia topica* in *Peripnevmonia*, *Hepatitide*, &c. proſint, ubi potius effectus qualiscunque etiam *Diſcuſſorius* forte *conſequitur*, nudæ *naturæ* activitati & *directioni* adſcribendus eſt; de *Camphoræ* uſu *externo* ſeorſim hæc monere lubet, quod illius *volatilia* principia fragrantia, non modo ſecundum hunc jam traditum modum operentur, ſed quod etiam *poros cutis* adeo efficaciter *amplificent*, ut ab *intra* ſub diſcuſſionis effectu genita *ſubtilia* apoſpaſmata ſeroſa facilius *exſpirare* & ita eo melius & ſincerius *Diſcuſſio* ſalutarem effectum impetrare poſſit: ob eandem etiam rationem eadem *camphora extrinſecus* applicata *diaphoreſin* facilitat: denique *differentia* in hoc effectu *diſcuſſorio* annotanda & inculcanda eſt, quod repreſſionis *adſtrictoriæ* aut potentioris *retropulſionis* effectus *alio modo* atque *gradu* procedat, quam qui propiori ſenſu *diſcuſſioni* annumerari debet: de qua re ſupra ubi de *adſtringentibus* ſermo fuit, actum eſt.

§. XVI.

Cum in præcedentibus circa diverſam talem ſpeciem *Alterationum* occcupati fuerimus, quæ *humorum attenuatio-*

nuationem,diſcuſſionem,commotionem & *promotionem* concernunt, ita nunc *oppoſitam* quandam qualitatem perluſtrare volumus & præcipue hoc ordine INCRASSANTIUM modum operandi explicare cogitamus: ſed ipſa hæc *denominatio* ſatis clarè exprimit *modum operandi*, qui in eo conſiſtit, quando partibus *fluidis,mobilibus* & ad commotiones atque emotiones pronis, tales *cauſæ* & talia *inſtrumenta* atque adminicula applicantur, quæ iisdem aliqualem *ſpiſſitudinem* & *craſſitiem* conciliant, quo minus *ſuſpectis* illis *commotionibus* atque *emotionibus* obtemperent: nunc vero ex ipſa humorum *indole* inquirendum eſt, *qualis* videlicet humor *incraſſationi* facilius obnoxius ſit, ubi facile patet quod *ſerum* in ſe ſpectatum non modo ob *tenuia* principia, ſed & ob *mobilitatem* ſuam plus *attenuationi* quam inſpiſſationi expoſitum ſit: interim *in genere* de *maſſa ſanguinea* conſtat, quam valde propendeat in *craſſitiem* & *coagulationem*, adeo ut *multiplices* cauſæ eo contribuere obſerventur: in hac maſſa ſanguinea vero nullus humor facilius ſuſpectam talem *craſſitiem* aſſumit, quam *mucilago* & *lympha*, quippe qui ſucci illius *conſiſtentiæ* eorundemque *principiorum* ſunt, ut ab aliis principiis & qualitatibus *phyſicis* facile in hanc craſſitiem converti queant: *lympha* enim *gelatinoſam* habet indolem, quæ propterea *refrigerata* vel *debilius commota* vel cum *ſalino* principio inquinata facile *ſpiſſitudinem* induit: *mucilago* vero quando non ſufficienter *humectatur*, aut negligentius *commovetur*, vel cum *acido* ſubjecto impræ- gnatur, perinde facile *tenacem* craſſitiem aſſumit: quapropter aliquando *incraſſatio* ſuccedit, quando humores *ſegnius*, debilius & negligentius *circulantur* & per partes *poroſas* transprimuntur: huc *ſedentarium* & *otioſum* vitæ genus efficaciter contribuit: ea propter *hyberno* tempore, ubi homines non *tam valide* corpus exercent atque *movent*, quam alio, humores *ſpiſſiores* & craſſiores exiſtunt, e qua *ſpiſſitudi-*

ne

ne ſuccorum varii *morbi* proveniunt: viciſſim per *vegetiorem* & frequentiorem *commotionem* corporis *reſolutiones, apertiones* & *attenuationes* therapevticæ promoventur & facilitantur: porro incraſſantur humores, quando illud ſimpliciſſimum adminiculum ſubtrahitur, per quod ſucci diluuntur & attenuantur, videlicet quando *ſufficiens humectatio* denegatur, unde *parcus potus* & *ſolidorum copioſa* aut ſufficiens ingeſtio ſanguinis & connexorum reliquorum ſuccorum ſpiſſitudinem & *craſſitiem* conciliat, ſicut contra *ſimplicisſimus* & *naturæ* maxime conveniens ille eſt modus, quo ſuccorum *crasſities* emendatur, quando *interne* corpus ſufficiente *humectatur* & *fluida* majori copia, quam *ſolida* ingeruntur: porro *incraſſantur* humores, quando frequens *refrigeratio* corpori inducitur: *frigus* enim *gelatinam* in tantum *inſpiſſat*, quoniam motus *caloris* gelatinoſas moleculas *diſtrahit* ne conglutinentur & ſpisſitudinem induant: *frigus* contra vel *condenſantem* efficaciam *activam* habet, vel *privative* ad *incraſſationem* humorum concurrit, dum ſub eodem *gelatinoſæ* & *mucilaginoſæ* moleculæ *coaleſcunt*, reliquas etiam *tenuiores* particulas una in idem *coagulum* & *ſpiſſamentum* transferunt: hinc homines multum *in frigore* degentes ſangvinis *ſpiſſitudinem* nanciſcuntur: huc etiam contribuunt *balnea poſitive frigida*, quæ ſuſpectam ſangvinis *craſſitiem* cauſantur: quid quod ſi homines *intrinſecus* frequenter valde *frigida* ingerunt, eo ipſo etiam ab intra ad *inſpiſſationes* humorum diſponuntur: de reliquis *Refrigerantibus* remediis *alibi* dicendum erit: *alius* modus *incraſſandi* eſt, quando paulo *majori* quantitate *acida* remedia aſſumuntur; hæc enim *mucilaginem* & *gelatinoſam* lympham tam in *partibus*, quam in *tota Maſſa ſangvinea* coagulant; quæ vero *ratio* ſit *cur acida* tales humores *inſpiſſent*, nondum *ſolide* & *perſpicue* in phyſica demonſtratum eſt; unde rectius *res* & *phænomena* conſide-

ſiderari & annotari debent, prout ſunt & actu occurrunt, neque nos huic liti impræſentiarum immiſcere volumus, *quomodo* ſalia *acida* humores *gelatinoſos ligent figantque*, an particularum *figuræ* huc quicquam conferant, (quod demonſtratu *difficillimum* erit) an *aliæ* cauſæ & rationes conſtent: nos quidem deprehendimus, quod in tali ætiologia *phyſica* multæ *ſuppoſitiones, imaginationes, fictiones, petitiones principii* & progreſſiones in circulum occurrant, unde conſultius ab hiſce *incertitudinibus*, fallacibus ſubtilitatibus & otioſis meditationibus abſtinemus: interim ex *experimentis chymicis* & *obſervationibus* relationum, quæ inter materias occurrunt, patet, quod *acida*, imprimis quæ de *ſulphureo-vitriolica* proſapia ſunt, *mucilaginem* limoſam aut terras limoſo-calcareas ſive ſimplices ſive humectatas in *denſiorem* combinationem, congregationem & *incraſſationem* transferant: iterum *alius* modus *incraſſandi* eſt, quando intra *fluidas* partes *major* copia *terreſtrium* & *mucidarum* ſubſtantiarum, quæ *tenuiores* materias *obviſcant*, involvunt, connectunt, ſangvinem *graviorem, craſſiorem, grosſiorem* & *ponderoſiorem* reddunt; unde *menſura una* ſangvinis *melancholici* longe *ponderoſior* eſt, quam ſangvinis *cholerici*: etenim non modo hæc *terrea* & *mucida* ſubjecta conſiſtentiam ſangvinis *impaſtant* & incraſſant, ſed & eo ipſo *impediunt*, quo minus *vegetè* & efficaciter ſangvis *circulari* & per partes *poroſas* atque cribroſas *ſufficienter*, ſatis *frequenter* atque *valide* transprimi queat, ut proinde etiam propter hanc rationem humoribus major *ſpiſſitudo* accedat: unde attenti practici probe norunt, quid *frequens* & *copioſus* uſus *abſorbentium* in ſubjectis *melancholicis*, in affectu *hypochondriaco, catarrho tenaci*, febre *intermittente*, *obſtructionibus alvi* & *viſcerum* efficiat: ubi experientia ſufficienter illius *iniquitatem* atteſtabitur: utut vero humorum *crasſities libero progreſſui* & motui, nec non *connexis* aliis functionibus non parum interdum, imo utplurimum *præ-*

judicat, tamen aliquando in medicina practica *tales caſus* occurrunt, ubi *moderata* incraſſatio & *neceſſaria* & *utilis* exiſtit: placet inter *varios* alios caſus tantum hoc loco exempli gratia producere & allegare illam circumſtantiam, quando intra pulmones *ſubtilis* materia *ſeroſa ſalino-ſulphurea* ſequeſtrata fuit, quæ teneram & *ſenſibilem* texturam pulmonum valde affligit atque ſtimulat, ut propterea pertinax & *impetuoſa tuſſis* ſuperveniat: quoniam vero *tenuis* hæc materia propter hanc ſuam *ſubtilitatem craſſo* tali modo exturbari non poteſt, propterea *moderata incraſſatio* hanc difficultatem lenit & corrigit: quod etiam valet in *illo caſu*, ubi nimis *ſubtilis*, pauca & *corroſiva bilis* in inteſtino duodeno hæret & huic una cum viciniis partibus noxam minatur.

§. XVII.

Famigerati, *ſimplicis* & utplurimum *ſecuri* uſus & effectus ſunt in medicina Practica remedia EMOLLIENTIA, quorum operandi modum etiam brevibus obſervare & annotare volumus, quæ in *veterum* medicina valde uſitata fuerunt: quemadmodum vero *Emollitionis notio* valde *ſimplex* & *perſpicua* eſt, ita etiam *effectus emollitionis* non *difficilis* exiſtit: quod ipſam enim *emollitionem* attinet, tunc illa imprimis cum partibus *ſolidis* commercium habet, quæ ſi *indurantur*, *condenſantur*, fortius *conſtringuntur* & propterea in neceſſaria ſua *flexilitate*, *mollitie*, *mobilitate* & *permeabilitate* læduntur, tunc tali *relaxatione*, *lenitione* & *emollitione* indigent, ne damna quædam confeſtim ingruant, quæ *liberum progreſſus* ſangvinis & *ſe* atque *excretoriæ* functionis ſucceſſum, proinde etiam totam œconomiam *vitalem* graviter offendunt: aſt quoniam hæc condenſatio & *conſtrictio viarum* non niſi *motu tonico* adminiſtratur, hic etiam partes *fibroſas* afficit, ita contingit, ut, ſi ejusmodi partibus fibroſis *emollientia* remedia applicantur, talis *laxitas* & *lubricitas* cum remediis illis hiſce partibus inducatur, quo poſthac motus *conſtrictorius* in *relaxatam* talem

par-

partem nullam efficaciam habeat, adeoque fruſtra urgeatur, æque ac in chordam flaccidam & *laxam* nulla *ſolida* & firma *ſtrictura* transferri poteſt: propterea tamen cum Emollientium remediorum *uſu*, licet eadem *ſimplicem* effectum habeant, *prudenter* procedendum, ne *ſalutaribus naturæ* motibus *contrario* quodam effectu atque auſu *reſiſtamus*; ſicut *methodicæ* Sectæ fundamenta & principia haud multum *ingenua*, probata & *ſecura* ſunt; neque curationes per *contrarias* facultates *conſultæ* ſemper & *utiles* exiſtunt; hinc tam in *generica* emollientium ordinatione, quam in *gradu* Emollitionis ſervando *modeſtia* opus eſt, quoniam mediante congruo *tonici* motus *augmento*, ſatis ſæpe *ſalutares* effectus obtinentur, quos relaxantia & *Emollientia* remedia, *inconvenienter* ordinata, graviter *turbabunt*; ſed cum in talibus *practicis* & ſcitu admodum dignis alias animadverſionibus hoc loco atque ordine diutius hærere non placeat, licet in *præcedentibus* ad *Emollientium* modum operandi agnoſcendum & explicandum viam præparaverimus, ita nunc ipſum *modum* ſuccinctè indicabimus: *Emollientia* itaque remedia ſunt *mucilaginoſa*, *oleoſa*, *pinguia*, quorum principia ſunt *mobilia*, *mollia* & *lenia*, quæ *intrinſecus* aſſumpta *ſuperficiem* viarum *demulcent*, *elubricant*, *leniunt* levantque, ut per ejusmodi ſuperficiem aliæ materiæ citius *transfluant*, neque eidem diutius *adhæreſcant*: proinde talia remedia partes reddunt *flexiles*, *mobiles*, *lubricas*, *molles*, dum fibrillis *pingves* aut *tenues mucidæ* ſubſtantiæ ſe inſinuant, priſtinam *ſtricturam* relaxant, ipſas fibrillas *turgefaciunt*, adeoque motum conſtrictionis *minuunt*, ſed eo ipſo tantum efficiunt, ne materiæ *vellicantes* has partes *offendant*, neve *dolores* ſingulares easdem vexent, quippe *qui* ſæpius ab hoc *tonici* motus *augmento* dependent: deinde etiam hæc Emollientia remedia *interne* materias *craſſas*, crudas, ſpiſſas & *ſiccas deliniunt* & demulcent, quo facilius *è loco priſtino* moveri & denique penitus *eliminari* poſſint, teſtimonio *tena-*

cioris muci in *pulmonibus*, *ſcybalorum induratorum*, *calculi renibus* & *ureteribus* infixi, *muciditatis tenacioris* vias *urinarias* deobſtruentis, in quibus caſibus *emollientia* uſurpata, tam *vias*, quam *materias* leniunt, eoque ipſo *promotionem* & *emotionem* urgentis offendiculi adjuvant: ex eadem conſideratione fluit *ratio*, cur *Emollientia* remedia *dolores mitigent*: etenim *dolores* proveniunt à *nimia* partium *ſenſibilium* tenſione, *conſtrictione*, *extenſione*, diſtenſione & compreſſione, nec non à materiarum *acrium* ſalinarum offenſione & *vellicatione*, qua partes *ſenſiles* affligunt: quoniam itaque *Emollientia* remedia partim has *acres* materias *involvunt*, demulcent, *leniunt* & obtundunt, nec non partes *continentes* elubricant, *obliniunt*, levigant & cum *pinguedine* atque mucilagine obducunt, partim affectas partes *tenſas* & compreſſas *relaxant*, eopropter, *ſenſus* & ſeorſim quidem *dolor* obtunditur & *hebetatur*: ubicunq; etiam alias quicquam certis partibus *firmius* adhæreſcit & ſuſpectam *duritiem* atque *ſiccitatem* indueit, ibi *Emollientia* multam *utilitatem* afferunt; hinc ad *cruſtas* ſeparandas, ad *verrucoſas* concretiones relaxandas & *indurationes* remolliendas & leniendas conducunt: eadem efficacia & operandi modo conferunt in *ariduris*, *contracturis*, *ſcirrhis* exſanguibus & in quocunque alio affectu immoderatæ, incongruæ atque contumaces *ſpaſmodicæ* commotiones affligunt: & quo facilius *internè* hæc Emollientia operentur, ita præſtat illa *ſufficienti* quidem, aſt *non prodiga* quantitate exhibere, quo mediante *maſſa ſanguinea* ad loca afflicta ſufficienti quantitate transferantur, ubi fibrillas *conſtrictas* partim *relaxant*, partim ita placide *leniunt*, ut prægreſſæ *ſpasmodicæ* conſtrictiones *remittant*; quemadmodum remedia, quæ cum *leniente* effectu *ſenſum* placide afficiunt, tantum etiam contribuunt, quo *natura* cum *activo* ſuo concurſu atque *directorio* priſtinas ſuas *contractiones minuat*, ut ita non æque ſemper neceſſe ſit, quo fibrillæ *eo usque* rela-

xen-

xentur, flaccidæ & molles reddantur, ut abſoluta *atonia* in iisdem occurſet, aut ut natura intra illas *tonum neceſſarium* transferre nequeat: quoniam ſenſus *placidæ*, acceptæ & moderatæ *lenitionis* eousque naturã allicit & promovet, quo eadem per *activum* concurſum *tonicum* motum *temperet* & remittat, evidenti & ſimplici *frictionum* documento: eadem ratione, eodemque modo *Emollitio topica* ſuccedit, quando ab extra applicata *oleoſa*, pinguia, fluida mucilaginoſa, lenientia non modo ad ſenſationem *gratæ lenitionis* ſive lenitatis conciliandam contribuunt, ut propterea natura præſentes *intenſiores ſtricturas* imminuat & ob magis *placidam* ſenſationem à *priſtina* extraordinaria & *inſolita* commotione deſiſtat, ſed & quo materiæ illæ emollientes, partes *rigide conſtrictas* attingant, intrent & relaxent, hinc *indurationes* eo usque alterant, ut *mollitiem* aſſumant; imo hinc evenit, ut poſt emendationem hujus ſuſpectæ *conſtrictionis*, præſentis *infarctus* & ſtagnationis *reſolutio* & *diſcuſſio* facilius impetrari poſſit: hinc denique *Emollientia* per diverſos *gradus* applicata in *inflammationibus* ſuperficialibus adhibita, modo hujus *diſcuſſionem* adjuvant, modo *maturationem* facilitant, quando videlicet ad præſentem *ſtaſin* ſufficientem *aditum* humoribus conciliant, quod brevibus jam de *Maturantibus* adjicere placet.

§. XVIII.

Emollientium ſuccincta explicatio viam nobis monſtravit ad MATURANTIUM operandi modum exponendum: & licet *Maturantia* ſive *Suppurantia* non alia utplurimum quam *emollientia* ſint, niſi in hoc negotio *Attrahentia ſpecialem* effectum habeant, tamen quoniam *Suppurationis* proceſſus & ſucceſſus *ſpecialis* conditionis eſt, propterea placuit illius hoc loco *peculiarem* mentionem facere: dicuntur itaque *Maturantia*, quæ *ſecundarium* inflammationis effectum, nimirum ſuppurationem, ſive converſionem

ſanguinis præcipue *ſubſiſtentis* in *pus*, promovent, ne *putrida* quædam corruptio conſequatur : *modus* vero hujus transmutationis eſt, quando *ſanguis* à tergo & undiquaque ad præſentem ſtaſin directus atque *affluens*, principia *inflammabilia* ſive ſulphurea, præ aliis maxime *mobilia* & ad *putredinem* inducendam valde habilia, à præſenti *ſtaſi* aufert & ita *fomitem putrefactionis* ſubducit, ut *mucida* quædam portio, *pus* præcipuè conſtituens, remaneat, quæ *converſio* ſanguinis ſubſiſtentis in pus, quia *corruptioni* directè *oppoſita* eſt, nulla *ratione* nulloque *fundamento* corruptionibus accenſeri poteſt, id quod conſtanter & paſſim ſatis diſerte *Excell. D.D. Stahlius* inculcavit & monſtravit, de qua conſideratione præcipue concilianda eſt *Præfatio* ſchediaſmatis de *Mechaniſmo motus progresſivi ſanguinis*: hæc ipſa *ſeparatio* hujus principii *ſulphurei* à *ſtaſi* ſanguinis non melius aut certius obtinetur, niſi ſanguis ſufficienter *affluere* & ſtaſis *contingere* poſſit, quo imprimis pertinet juſta & ſufficiens partium affectarum *amplitudo*, capacitas & *permeabilitas*: hanc neceſſariam *aperturam* non parum *offendit* & turbat *nimius* inflammatorii motus gradus, quo mediante vel *affecta* pars cum ſanguine magis *oppletur*, vel plus, quam proficit, cum *congeſtoriis* commotionibus adigitur & urgetur, ut propterea ſub tali *nimio inflammationis* augmento, neque *diſcusſio* neque *ſuppuratio* ſtaſeos procedat, ſed interdum *ſtaſis* præſens magis *confirmetur*, augeatur, quin per conſequentem *accidentalem* effectum *ſphacelatio* invitetur & *acceleretur*, cujus phænomeni *Gangræna* aliquando luculentum teſtimonium perhibet: ne itaque hæ *congeſtoriæ* commotiones, *ultra modum* atque modulum inflammationem proſequantur & quo ſanguini *affluenti* juſtus *aditus* concilietur, eapropter *ab extra* ad affectum locum adhibita *lenientia*, mucilaginoſa, pinguia, *emollientia* hunc *Suppurationis* effectum promovent & facilitant: haud enim ulla dantur re-

me-

media, quæ *per ſe* ſanguinem in pus convertere poſſunt, ſed cum totus *inflammationis proceſſus* in legitimo ſuo ordine atque decurſu actum *extraordinarie vitalem* conſtituat, quo mediante *corruptio*, quæ imminet, à corpore *avertitur*, propterea etiam hæc *Suppuratio* in *formali* ſua ratione *naturæ* adſignandus eſt, neque ex ulla alia quadam cauſa, tanto minus vero ex *neceſſitate* quadam *phyſica* aut mechanica ortum trahit: remedia vero quæ *Maturantia* dicuntur, non niſi ad *impedimentorum* remotionem inferviunt, quo dehinc eo *facilius natura Suppurationis* actum adminiſtrare queat: unde hæc *topica* remedia *Maturationis* proceſſum indicato nunc modo facilitant; ſicuti medicamenta *intrinſecus* exhibita minime eadem ratione, *efficacia* & promptitudine *Suppurationem* promovent; neque denique *ille modus* operandi oblivioni tradendus eſt, quod *Maturantia* & quidem *emollientia* remedia, ad *affectam* partem applicata, interdum *poros obliniant* & exſpirans *ſerum* ſubtile coerceant, quod in loco affecto partim ſubſiſtentis ſanguinis *reſolutionem*, partim *ſulphureæ* portionis *ſeparationem* & divulſionem à reliquo ſanguine adjuvat; dantur vero etiam Maturantia, quæ *per poros* ſimili fiendi modo *ſubtile* vel *volatile* principium ſalinum communicant, quibuscum in præſente *ſtaſi* deinde *ſulphureum* illud principium ſequeſtratur & pus inde coquitur & hiſce ſubtilibus ſalinis principiis utitur natura, tanquam materiali *inſtrumento*, cum quo reliquam operationem perficit: ſicut itaque *prioris* indolis *Maturantia* auxilia fuerunt *emollientia*, quia ſimplicia fomenta calida, ita ad hæc *poſteriora* Maturantia referri merentur *cepæ*, *reſinæ*: denique etiam *Suppurationem* promovent *Attrahentia* remedia, de quibus in hoc ſpecimine brevibus adhuc quoad illorum operandi modum ſuccinctam mentionem facere lubet.

§. XIX.

Devolvimur itaq; adhuc circa finem præſantis Speciminis ad

AT-

ATTRAHENTIUM remediorum operandi modum explicandum: dum vero in alio quodam ſpecimine ad præſentem conſiderationem via præparata eſt, quando videlicet de *veſicantibus* & *rubefacientibus* in præcedentibus actum fuit, hinc *ſpecialiorem*, brevem tamen *Attrahentium* explicationem ſubjungemus: neque quidem placet *diffuſiorem* rationem reddere, cur hæc remedia *Alterantium* numero adſcribamus, dum ipſe illorum effectus teſtatur, quam efficaciter eadem ad *motuum alterationem* provocandam conferant: neque etiam ſubinde ille *craſſus* conceptus eſt formandus, quaſi *Attrahentia* medicamenta *activè* ab *intra* & ex *intimis protrahant* humores: multo minus illa *phyſica* fictio locum inveniet, quaſi hæc remedia ab *illo loco*, cui applicata ſunt, *aërem* fugent & diſpellant, quod *vacuum* deinde aër cum humoribus mixtus ab *intra ſupplere* fingitur, pingitur, creditur & ſupponitur: misſis hiſce traditionibus, quæ nullo modo *ſolidè* ad corpus *vivum* applicari poſſunt, notamus, quod remediorum *Attrahentium* applicationem, major humorum *affluxus* & congeſtio ſequatur: hæc *affuſio* vero humorum ad talem *circumſcriptam* regionem pertingere haud poſſet, ni *ab intra* per proportionatos motus & quidem *congeſtorios* dirigeretur: hæ *particulares* humorum *reſtrictiones* habent etiam ſuas *ſingulares* cauſas; quando itaque *naturæ* in aliqua parte *moleſtum* aut adverſum aut *noxium* quiddam offertur, tunc pro *aptitudine* partium illud objectum nunc citius, nunc tardius removet, *abigit* & expellit, aut ſi hæc *remotio* ſuccedere non poteſt, ad *eundem locum* ab *intra* humores copioſius advehit & *congerit*, quibuscum vel *noxium* illius objecti *effectum* infringere & *hebetare*, vel *moleſtum* minuere & *temperare* contendit: nunc vero de *Attrahentibus* remediis ſciendum eſt, quod vel *acria ſalina, ſulphurea, reſinoſa* ſint, vel *tenacia*, quæ utraque *ſenſui*, ad *vitale* negotium neceſſario, *adverſa* & inimica exiſtunt; id quod tanto magis de *acribus* valet: reliqua vero *tenacia*, ſpiſſa, reſinoſa, picea, dum adeo *firmiter* cuti *impacta* ſunt, omnino *moleſtiam* creant, ut propterea *ad eundem* locum ſanguis copioſius *congeratur*, cujus congeſtionis non alius *ſcopus* eſt, ac *natura* alias per ejusmodi congeſtorias commotiones alieni objecti *promotionem in alia loca*, aut *emotionem è toto corpore* urget: quo præcipue illa *perſonalis ſenſibilitas* referenda eſt, dum quidam homines facile *in cute* offendi poſſunt, ſie haben eine zärtliche Haut, ut vix quicquam *ſuperficiem* corporis contingere debeat, quin mox eo *copioſior* humorum affluxus tranſeat: & hac etiam ratione *Attrahentia* remedia *inflammationem* provocare, vel ſi *motus* inflammatorius ad inducendam *ſuppurationem* inſufficiens fuerit, eundem *eo usque* excitare poſſunt, quo *maturationis* effectus conſequatur: Plura hac vice in hoc *Specimine* addere non placet, quare filum abrumpimus, ne limites transgrediamur: Deo denique humillimas gratias reddimus, quod benedictione ſua ad præſentis diſſertationis commendationem nobis adſiſtere voluerit, quem etiam devotisſima mente rogamus, quo hanc tractationem eo usque ſecundet, ut ipſius gloriam & medicæ veritatis ulteriorem confirmationem adjuvet atque promoveat.

(o)

SPECIMEN
QVARTUM.

PROOEMIUM.

SCientia rerum, licet à *Seneca Ep. 31. bonum* hominis & à *Socrate apud Laertium Lib. 2. unicum bonum* appelletur, imo proinde multis & miris elogiis paſſim exornetur, tamen in variis caſibus & occaſionibus illius ſplendor non coruſcat, ſed obſcurior evadit, ut in eandem tunc cadat illa inſcriptio: *Plus fumi, quam Lucis!* non quidem ſermo nobis eſt de polymathia, de qua *Anaxarchus in Libro de Regno* ſcribit: *multa & varia doctrina multum quidem juvat, multum autem lædit eum, qui poſſidet*: ſint nobis modo exempli loco ſcientiæ rerum quæ frequentius occurſant, quantæ non vulgo de iisdem circumvolant opiniones! ut merito exclamare debeamus, quot capita, tot ſenſus, quot eruditi tot ſententiæ! quantus non vulgo floret numerus ſectarum & tamen quælibet in caſtris & ſub vexillo veritatis militare putat; inde forte injuriam quisquam plurimis aſſertis inferret, ſi fidem ipſis denegaret & quod vera ſint, dubitaret: aſt quo magis ſpecio-

cioſæ tales ſcientiæ vulgo exiſtunt, eo magis otioſæ & vanæ eſſe deprehenduntur: contra vero quo magis ſimplices, perſpicuæ & citra tropum propoſitæ ſunt, eo magis ſinceræ & veræ exiſtunt: Quousque quæſo ſe extendunt ſcientiæ ex Ebræorum & ſic dicta Moſaica Philoſophia Myſtica, Cabaliſtica & Hieroglyphica petitæ? quæ non in iisdem florent conjecturæ, opiniones, traditiones, ſuppoſitiones & imaginationes! Sane impium eſſet de benigniſſimo creatore præſumere velle, quaſi veritatem adeo celaverit, cum potius indubiæ veritates, quotquot illarum conſtant & proſtant, utplurimum ſimpliciſſimæ exiſtant: Et quid non ſcientiarum fulgorem, nitorem & certitudinem magis impedit, quam cacoetheum illud eruditorum malum, quando res illas, circa quas verſantur curioſe & ſpecioſe proferre laborant; cum viciſſim multi ad certitudinem perveniſſent, ſi in ſimplici via inceſſerint: Quantum detrimenti attulerint ſcientiis ſubtilitates ex variis ſimulacris & ſimilitudinibus collectæ, inter alias ſcientias tam Phyſica, quam Theoria Medica atteſtabitur, in quibus varia talia dogmata occurrunt, quæ quoad factum & externum ornatum pulchra, ſed ſimul fatua ſunt, ut mulier illa cujus in *Proverbiis Cap. 11. v. 22.* mentio injicitur: qualis ſcientia & Theoria ſi bona appellari meretur, malum omnino promittit Practicum; & hæc *ſtudia ſcientiæ*, ut cum *Ambroſii* verbis eloquamur, *ſine factis, haud ſcio, an etiam involvant magis, quam adjuvent*: eapropter ſteriles omnino ſunt ſcientiæ & expectationem boni fructus deſtituunt. Adeo deperditi proh dolor! hodienum ſunt modi indagandi veritatem, ut in ſubſidium perſpicuitatis variæ fingantur figuræ, quas craſſa phan-

phantaſia arripit & exinde varia theoremata concipit & obtrudit, hinc eo usque degenerant ſcientiæ, ut interdum de veritate rei dubitetur, ſi ipſa res craſſo tali modo concipi haud poteſt: hujus nævi ſpecimina multiplicia in philoſophia corpuſculari & Theoria medica mechanica occurrunt, ubi variæ figuræ, qualitates & relationes excogitantur & ſupponuntur, quæ non modo in prima ſua facie & inventione dubiæ & incertæ ſunt, ſed & in reliqua applicatione valde ceſpitant, ut ſatis ſæpe luculentæ & craſſæ petitiones principii cum demonſtrationum ornamento ſuperbiant: ſed ne extra ſphæram progrediamur, maneamus tantum in Theoria medica, quot non in eadem paſſim occurrunt aſſimilationes & nonnunquam ſubriſione dignæ comparationes? quot non finguntur antliæ, ſiphones, cylindri, emboli, epiſtomia, vectes, trochleæ, hypomochlia, niſus, elateres &c. quot non huc trahuntur experimenta curioſa, artefacta, quæ quia animum delectant, facile innocentia & curioſitatibus immerſa ingenia corripiunt atque corrumpunt, ut poſthac ſpecioſis ejusmodi erroribus adeo tenaciter animus adhæreat, quo minus ſimpliciores & ſinceriores demonſtrationes agnoſcantur, apprehendantur & præferantur: utut vero ejusmodi animadverſiones ſpecioſæ & curioſæ interdum videntur, tamen adeo operoſæ & implicatæ ſunt, ut nunquam ſine grandi ſuppoſitione ad corpus vivum applicentur: hinc tot irritationes & ſtimulationes excogitantur, quæ mere materialibus qualitatibus imputantur: hinc illæ traditiones, quod corpus per ſe activum ſit, addita illa ratione & (qualis eſſe creditur) demonſtratione, quaſi deus materiæ concreaverit

rit & indiderit motum, aut addita illa exclamatione! qualis illa eſſe debeat materia, quæ motu prædita non eſt? hinc illa aſſerta quod materia ſentiat, quod ſenſus detur ſine ratione, adeoque cauſis phyſicis & mechanicis nitatur: hinc corpus tanquam artificioſiſſima machina producitur, quæ ſi læſa eſt, tamen illius etiam capacitatis eſſe creditur & ſupponitur, quod ſub hac læſione ſe ipſum tamen reſtituere & reparare poſſit; addita illa demonſtratione, ſi homines tam artificioſas machinas conficere poſſunt, quidni Deus omnipotens potuerit talem machinam parare, quæ ſe ipſam curare & emendare debeat queatque: inde illæ concluſiones à potentia dei ad exiſtentiam rei: inde illæ argumentationes à poſteriori, quia homines ſponte curantur, ergo corpus ſe ipſum reſtituit! cur? quia Deus potuit talem machinam conficere, quæ læſiones ſuas reparare poſſit: non quidem tales opiniones ſelegimus, quo easdem refellamus, id tantum brevibus indicamus, quod talium aſſertorum veritas nondum ſit perſpicua & quod multæ atque ſonticæ difficultates illa premant, ut propterea evidentiores demonſtrationes requirantur: Quod cauſas morborum attinet, tunc non levis ſane labes hanc ætiologiam detinet, dum iterum operoſæ & ſpecioſæ ſententiæ paſſim circumvolant: hinc mox diverſæ ſalium ſpecies & humorum acrimoniæ, mox diverſa fermenta, alibi variæ obſtructiones, nonnunquam peculiares ſpirituum tumultus & ſeditiones &c. accuſantur, quæ cauſæ deinde utplurimum in nuda ſuppoſitione ſubſiſtunt, licet in diffuſas & ſpecioſas Pathologias trahantur, ut proinde facile quisquam de ſinceritate & verita-

ritate illius Pathologiæ judicare poſſit. In Therapia denique hactenus duplex labor viguit, dum in priori circa indagationem principiorum in medicamentis & virium, principiis illis reſpondentium, medici valdè occupati & ſolliciti fuerant, quæ vero disquiſitio in quantum veritati conſona ſit, facile judicare licet, dum alius ſtatus eſt, quando remedia ſunt abſtracta & ſimplicia, alius vero quando ſunt in concreto ſive in mixtione, ſecundum quem ſtatum differunt etiam quoad vires: in poſteriori viciſſim non parum operæ hactenus impenderunt medici philoſophi in inquirendo intricato illo modo medicamentorum operandi, ſub ſpe, quaſi hæc notitia multum ſcientiæ medicæ veritatem adjuvare debeat: neque etiam in hoc ſtudio ſimiles imaginationes deficiunt, ubi modo certæ remediorum figuræ ſupponuntur, quibus ad diverſos poros partium fluidarum æque ac ſolidarum diverſa relatio adſcribitur; modo diverſa gravitas & ponderoſitas de medicamentis prædicatur, cui proinde diſcrepans valor in partes corporis humani adſcribitur, qui ſatis ſæpe obſcuris admodum fundamentis nititur: ſicut vero omnis ſcientia partim ſolidis, partim infirmis fundamentis niti poteſt, imo ſicut ſcientiæ & veræ & falſæ paſſim proponuntur, ut & ſicut ſcientiæ quædam in alio ſchemate utiles, ſub alia vero facie ſteriles eſſe poſſunt, ita idem valet de hac inquiſitione modi medicamentorum operandi: etenim dantur in hac conſideratione Theoriæ ſubtiles & ſpecioſæ, ſed ſane admodum infœcundæ: propterea vero hæc animadverſio non penitus aut abſolutè otioſa & infructuoſa eſt: modo in eadem communes illæ evagatio-

nes

nes evitentur: neque vero etiam eapropter concludendum eſt, quaſi hæc indagatio & ſimplex notitia modi operandi medicamentorum eſſentialis pars Therapiæ ſit: quin potius alibi monitum fuit, quod communi illa ſcientia hujus modi operandi Medicina practica commode carere poſſit: quin potius interdum ejusmodi ſubtilitates animum confundunt atque detinent, quo minus ſimplici & ingenuo ſtudio vere medicos & ſinceros effectus proſequatur; unde potius monendum eſt, quo hæc conſideratio cum prudenti diſcrimine tractetur & quantum fieri poteſt atque debet ad Praxin medicam dextre applicetur: ſed cum hæc animadverſio Tribus modo Speciminibus commendata ſit, haud inutilis labor erit ſi de MEDICAMENTORUM MODO OPERANDI IN CORPORE VIVO Specimen Quartum & illud etiam in hac diſquiſitione ultimum Inaugurali hoc actu exhibeamus & quæ adhuc in hac tractatione reſtant, brevibus adjiciamus & ſuppleamus: Annuat itaque divina benedictio huic labori atque propoſito, quo ad vota cedat & ſuccedat, artem medicam adjuvet, veritatem confirmet & omnem reliquum fructum iterum in fontem divinæ benignitatis transferat, quo omne noſtrum conamen gloriam DEi augeat.

§. I.

CUm in *præcedentibus Speciminibus*, præſentem tractationem de *medicamentorum modo operandi* concernentibus, *Evacuantium* æque ac *Alterantium* remediorum mentio facta fuerit, ita impræſentiarum adhuc meditatio inſti-

inſtituenda erit, de *quibusdam Alterationum Therapevticarum* ſpeciebus, quales videlicet in *Schola* æque ac *Praxi* medica uſitatæ ſunt & partim *emendationem humorum*, partim *præparationem organorum*, partim denique *correctionem motuum* attinent: cum itaque hic modus medicamentorum operandi ita aliquando, ſepoſita nimia ſubtilitate, *explicari* poſſit, quo *praxin medicam ſublevet*, illiusque *ſecuritatem* & *dexteritatem* promoveat, hinc in reſiduis *Alterationum* ſpeciebus exponendis & commendandis vires noſtras tentabimus, quo hac vice *alibi ceptum* hoc negotium ad *finem ſuum* perducamus: dum vero *Alterantium* remediorum reminiſcimur, neceſſarium eſſe judicamus, quo *plebejum* illum conceptũ declinemus, qui *paſſim* de Alterantibus remediis circumfertur, quaſi hæc medicamenta *ejus efficaciæ* ſint, quo *pravas* & noxias *eſſentias* & *qualitates* materiarum *abſolute invertant*, auferant & extinguant, ut plane *abolitæ* ſint; cum potius ſana *ratio* ſuadeat & inculcet, quod in *ordine naturali* & ſecundum potentias *phyſicas eſſentiæ* materiarum ſint *immutabiles* & *qualitates pernicioſæ* non *annihilari*, ſed tantum aliquo modo *emendari* & *retardari* queant: illuſtrabimus hanc conſiderationem cum *exemplo* quodam: *mercurius ſublimatus* eſt *extreme corroſivus*, conſtans è *mercurio currente* & *acido ſalis communis*, hujusque ſatis larga copia: quando itaque hoc concretum *corroſivum dulcificatur* per *additionem* alicujus quantitatis mercurii currentis, tunc exinde provenit mercurius *dulcis*, qui haud *corrodit*: interim productum eſt adhuc *argentum vivum* & *acidum ſalis communis*, quodſi etiam huic concreto quantitas quædam argenti vivi *auferatur*, aut aliqua copia *acidi* prædicti *adjiciatur*, tunc iterum reſiduum valde *corroſivum* evadit: unde quidem *diverſæ miſcelæ* contribuunt ad *diverſas qualitates*, ſed ipſas rerum *eſſentias* non alterant aut *invertunt*, quæ in qualibet *mixtione* manent immutatæ: ita porro *a-*

acrimonia ſanguinis, famoſum illud in *Pathologia* medica *monſtrum*, complectitur colluviem *impuritatum ſalinarum* concentratarum & copioſarum: ſi vero contra hanc acrimoniam remedia ordinantur, tunc illa non *hujus energiæ* ſunt, quo ſalia illa adeo *immutent*, ut *ſalia* eſſe *deſinant*, ſed tantam *involvunt*, demulcent, cum aliis lenientibus ſubjectis *implicant*, quo minus *concentrata* ſint & *acredinem* ſuam in partes *puras* & *mobiles* exſerant: quando hoc *involucrum* & vehiculum iterum à ſalibus illis *ſecedit*, tunc hæc iterum *ſui juris* fiunt & *priſtinam acrimoniam* produnt; neque etiam quisquam ſibi perſuadere debet, quaſi *ſalia* illa ſub ejusmodi *larva* & *vehiculo* commode *retineri* queant, quoniam nihilominus ſalia *eadem* principia manent *mixtioni* animali *inimica*, & quoniam ſub *quotidiana* humorum variatione, ſub *motu progreſſivo* contingente, non modo *novæ* impuritates ſalinæ *augentur* & generantur, ſed etiam *reliquæ* denuo *exaltantur*, à ſuo involucro liberantur & præterea iterum *deteriorantur*, aut ad *pravum* effectum inducendum aptantur: eapropter *Alterantia* medicamenta, in quantum circa *nocivas materias* occupantur, non alium modum operandi & effectum habent, quam ut *pernicioſas* illarum materiarum qualitates *aliquandiu* coerceant, ne è *proxima* nocendi potentia in *actum* noxæ inducendum & exercendum tranſeant: ſed cum in Therapia etiam *talia* Alterantia occurrant, quæ *motus* concernunt, eosdemque in talem *ordinem* ducere adjuvant, qualis pro impetranda, reſtituenda & confirmanda *ſanitate* requiritur, ita notare convenit, quod *Alteratio motuum* in *deteriorem* gradum *facilius* contingat, ſiquidem alias *fragilitas* corporis noſtri plus in *malum*, quam in *bonum* ſtatum inclinat; viciſſim vero admodum *difficulter* motus illi, qui ſemel *degenerarunt*, ita *alterari* poſſunt, quo in *ordinem* & *gradum* congruum revertantur: quod vero *modum* hujus Alterationis concernit,

nit, tunc ſine ullo *ſolido* fundamento accuſantur illi famoſi *ſpiritus*, aut *nervorum ſuccus* & ſic dictum fluidum nerveum, ad quos ſpiritus vulgo in Theoria medica, tanquam ad *aſylum* refugium inſtituitur, quando aliæ *rationales*, ſolidæ & *veræ* demonſtrationes deficiunt: juſtè itaque in hoc *modo operandi* explicando notandum eſt, quod, cum *motus* non ſint de proſapia *materiæ*, propterea materiæ aut *remedia* illos *per ſe* & *immediatè* alterare non poſſint; unde requiritur *perceptio* oblatorum medicamentorum horumque effectus phyſici *in materiam*, ſecundum quam *animadverſionem* deinde motus immutantur: hinc in *Alterantium* modo operandi exponendo duplex hic *cardinalis* error, qui ferme communis & epidemius eſt, evitari debet, quorum prior alterationem *materiarum*, alter *motuum* correctionem attinet.

§. II.

Proinde noſſe etiam convenit, *quomodo* in Alterationis negotio *proceſſus* & modus fiendi non *nudis* cauſis & reſpectibus *phyſicis* nitatur, ſed quod iterum notatu digna hic valeat *diſtinctio* inter *effectum* remediorum *phyſicum* & inter effectum *medicum* ſive *directionem effectus phyſici* quo *vitæ* & *ſanitati* ſubveniat, adeoq; ſalutaris ſit, cum haud adeo *abſolute* effectus *medicus* & ſalutaris ex alterantium effectu *phyſico* oriatur & profluat: ita enim v. g. *abſorbentia* remedia bilem *cauſticam* obtundunt & infirmant, propterea vero non ſtatim in affectu *cholerico* ſanitas & *reſtitutio* conſequitur, ſed nihilominus quidam *cardialgiæ* gradus continuat, donec ſaburra illa villoſa *excreta* ſit: hanc *excretionem* vero abſorbentia remedia *non afficiunt* aut adminiſtrant, quo exemplo itaque *ſimplici* quadam declaratione & demonſtratione inculcamus, quod effectus *Alterantium ſalutaris* & proprie ſic dictus *medicus* non *hæreat* in effectu *phyſico*: exinde concludimus, quod in *Alterantium* nego-

tio *natura humana* minimè otioſa, ſed admodum *activa* ſit; dum interdum illa *ex parte* ipſam Alterationem *efficit*, ex parte *ſalutarem* effectum, qui cum *Alterantium* remediorum uſu cohæret, *producit* & Alterantia ita *dirigit*, ne *noceant*, ſed quo proſint: quod itaque hinc *concurſum naturæ* ad Alterationes *medicas* attinet, tunc quædam harum Alterationum ſpecies *ab ipſa natura* unice adminiſtrantur, quod præcipuè valet de plurimis *motuum* variationibus: ſiquidem motuum *vitalium intenſiones* & *remiſſiones* ſub poteſtate *naturæ* ſtant, ni *organorum* quorundam *materialis* diſpoſitio eo usque *alteretur*, quo minus deinceps *congrui* motuum gradus *in illa* transferri & applicari queant: cum itaque remedia *per ſe* nullum *poſitivum* jus habeant ſive in *pulſum* ſive in *tonum*, ita horum *motuum* Alterationes à medicamentis *minime* dependent: interea *remedia* talia *cauſam* atque *occaſionem* præbent, quo *natura motus* hoſce per diverſos gradus variet: *nexus* vero *naturæ* cum oblato *remedio* eſt *ſenſus*, mediante quo aliàs anima *objecta* oblata *apprehendit*, obſervat aut percipit, deinde *ſecundum* illorum *æſtimationem* varias alias functiones inſtruit atque *dirigit*: horum *Alterantium* remediorum diverſam efficaciam *phyſicam* natura percipit atque *ſentit* & ſecundum hanc ſenſationem *motus* ſuos reliquos exercet atque *dirigit*: etenim quando hic *ſenſus* in corpore *deeſt*, tunc *remedia* ita dicta Alterantia effectum & ſcopum *medicum* non aſſequuntur: hinc viciſſim pro *diverſitate* hujus *ſenſationis* Alteratio eſt vel *major* & promtior, vel *minor* & tardior, cujus circumſtantiæ apertum teſtimonium perhibet *ſenſibilitas per individua* diſcrepans: & hæc notitia in *praxi medica* eximiam utilitatem habet, ne videlicet artifex decantatis illis *viribus* & facultatibus *remediorum* cœcam fidem præbeat, neve ſub hac credulitate in periculoſos rerum ſuarum atque negotiorum ſucceſſus incidat: prout hæc circumſpectio in *moralibus*

ralibus multam utilitatem affert, ne ita *promiſcuè* conſilia & auxilia offerantur & applicentur: inde enim eſt, cur rudioribus & *robuſtioribus* mitiora & *leniora* ſubjecta *parum* Alterationis afferant; ubi ſane valde *ceſpitant* illi, qui tantum *robur* in *corpore* & firmitate *materiæ* quærunt, dum ſæpiſſime homines *corpore* ſatis *teneri*, tamen quoad *vires* abunde *validi* & potentes ſunt, ut propterea utilis illa *differentia* ſemper inculcanda ſit, inter *robur* ſive firmitatem *corporis* & *robur virium* atque *motuum*: quo loco iterum *vires* & *motus* cum *corpore*, prout proh dolor vulgo fit, *confundi* haud debent: proinde multas alias alterationes natura humana *adjuvat* & *promovet*, dum nonnunquam remedia *eò dirigit*, ubi effectus ſuos exſerere debent, alias omnia illa medicamenta *in loco eodem* ſubſiſterent, in quem *primum* translata fuere, quo vero vel in *primas regiones*, vel in *maſſam ſanguineam* transferantur, *alio* omnino moderamine & *directorio* opus eſt; aliquando cum remediis talibus, quæ *Alterantia* audiunt, *natura* effectum hoc nomine *dignum* perficit, ut aperiat, diſcutiat, reſolvat, abſtergat &c. quos effectus in tam *profundis* atque ſecretis locis nuda *remedia per ſe* nunquam præſtare poterunt, ni cum iisdem, tanquam cum *inſtrumento* materiali *natura* operaretur: denique etiam è naturæ ſpeciali *directorio* fluit, quo *ſalutares* Alterantium effectus magis emineant, cum aliàs hic effectus *indifferens*, aut interdum plane *pernicioſus* eſſet.

§. III.

Altioris ſane, quam vulgo quidem reputatur, hæc conſideratio eſt indaginis, quod videlicet *natura Alterantium* effectus ita *dirigat*, quo *ſalubritatem* afferant; ſiquidem *phyſicus* illorum effectus, ut modo innuimus, non ſtatim *ſalutaris* exiſtit, quippe quæ animadverſio in certis exemplis atque *ſpeciminibus* clarior evadet; quæcunque enim *Alterantia* materias & *humores* quidem affici-

unt, illorum reſpectus *medicus* ſive *ſalutaris* eſt, quo quidam humores in *juſtum progreſſum* convertantur, ne *corruptio* iisdem accidat, aut quo aliqui ad *faciliorem* & promptiorem *evacuationem* præparentur: ſi itaque humores adeo *præparati* neque *congruo motu* propelluntur, neque neceſſaria *excretione* removentur, tunc *præcedens* Alteratorius effectus *nihil utilitatis* ad ſcopum *medicum* largietur, hæc enim *utilitas* conſiſtit in *promotione* & *emotione*: quod vero hoſce *poſteriores* actus attinet, tunc eosdem *Alterantia* remedia haud ita *abſolute* exequuntur, ob id ad *naturæ officium* ſpectat, quo Alterantium effectus ad *ſalutarem* ſcopum atque eventum perducantur: interea *Alterantia* remedia nihil aliud operantur, niſi *ſalino-ſulphureo-terreo* ſuo principio in ſubſtratas materias ſive fluidas, ſive ſolidas certum *motum* transferant, qui tamen propterea non ſtatim *ſalutaris* eſt: ita v. g. *aperientia* remedia *per ſe* non aperiunt, per ſe non penetrant *promiſcuè* in humores, per ſe non exactè *illum locum* afficiunt, *ubi* apertio neceſſaria eſt, ſed ſingulæ hæ ad apertionis effectum *abſolutè neceſſariæ* circumſtantiæ à *natura* diriguntur & cum Alterantium effectu *phyſico* convenienter *conciliantur*: ſic *reſolventia* remedia ejus capacitatis ſunt, ut ſi in *ſuo effectu phyſico* acquieſcunt, *lethalem* diſſolutionem & *putridæ* corruptionis accelerationem inferant: cujus rei evidens teſtimonium jam in vulgari obſervatione innotuit, quando ægrotantibus *copioſa* talia reſolventia *ſulphurea ſpirituoſa ſubtilia* offeruntur, ſi iidem *poſthac* moriuntur, tunc *citius* in *putredinem* delabuntur, intumeſcunt, colliqueſcunt, nigreſcunt, hinc vulgus dicit: die Artzeney wircke noch, der verſtorbene hätte ſo viele und Koſtbare Artzeneyen bekommen: ne itaque in corpore *vivo* reſolventia talia remedia ejusmodi *pravum* effectum inferant, ſane *alterius* cauſæ atque principii *directorio* & modera-

mine

mine opus eſt: occurrit adhuc hujus phænomeni eximium exemplar in *Febribus malignis*, quando ſecundum trivialem methodum *acriores* alexipharmacæ & reſolventes ſpecies exhibentur, ut angelica, carlina, imperatoria, contrajerva, anthora, Zedoaria, petaſidis &c. & tamen *nonnulli* patientes è *mortis* periculo emergunt; *facilius* evenire poſſet ut *talia* reſolventia remedia *putredinem* invitent & accelerent, dum non modo in humorum maſſa *ſubtile* illud *miaſma* malignum hæret, quo mixtioni *deſtructionem* minatur, ſed ubi adhuc ex ſuperfluo talia *ſubtilia* & *mobilia* principia in hiſce *reſolventibus* remediis contenta in eandem *maſſam ſanguineam* transferuntur, quæ partim miaſmata maligna *impellunt* & *diſſolutoriam* illorum efficaciam promovent, partim quæ ipſa *mixtionem* ſanguinis invadunt atque invehunt, ut longè *citius* putredo oriri poſſet & deberet, *antequam* miaſma malignum ejiciatur: quod vero nonnulli ægrotantes hoc periculum *evadant* atque ſuperent, non *remediis*, ſed *Deo* & *Naturæ* adſcribendum eſt, quæ ultima in tali caſu cum *duobus* eminentibus *adverſariis*, nimirum cum *morbo* & *imperito* medico pugnare debet: neque tantum natura circa illud negotium verſatur, quo minus *Alterantia* remedia oblata corpori humano *noxam* inferant, ſed quo ſubinde aliquam *utilitatem* afferant; id quod etiam obtingit in *motuum* Alteratione, ſicuti modo in antecedentibus dictum fuit; etenim *adſtringentia* remedia vias atque partes *non conſtringunt*; *temperantia* motus *per ſe* non mitigant & tranquillant; *nervina* motus non ex *ſua efficacia* augent; *anodyna* eosdem motus non coercent: niſi itaque jam *aliunde* corpus humanum certis *motibus* inſtructum ſit, hæc remedia nullas *tales Alterationes* in idem corpus inferrent; quare efficacia remediorum adſtringentium, temperantium &c. in corpus *exanimatum* longiſſimè *diſtat* ab illa efficacia reme-

me-

mediorum quæ in corpore *vivo* obſervatur: quemadmodum verò in *moralibus* negotiis *anima rationalis* ſecundum *diverſam* objectorum *æſtimationem* motus ſuos variat, ita idem in *vitali œconomia* obtingit, ut *objecta* motus non *efficienter* alterent, ſed quo ſecundum & *propter objecta* illa motus mutentur; unde in genere inclareſcit, aut per ulteriores medicationes & indagationes pateſcit, quam *activa* ſit natura in *directione Alterationum therapevticarum* ad *ſalutarem* effectum atque eventum, ſiquidem congrua *applicatio* ſalutaris motus ad convenientem *locum* non in poteſtate *corporis* aut remedii oblati conſiſtit: etenim ſi v. g. *antiſpaſmodicum* remedium exhibetur, cur hujus effectus ſe *extendit* ad locum *affectum* & cur non in *proximis* locis, quæ *immediate* contingit, *ordinarium* motum *hebetat*: cur anodyna operantur in *illam regionem* ubi ſedatione exceſſivi motus *opus*? quænam eſt *phyſica* relatio remedii antiſpaſmodici & narcotici ad motus *excedentes*? cur non hæc remedia operantur in *partes* ubi motus ſunt *debiliores*, leniores & *facilius* mutabiles? hic ſane omnis ſapientia *phyſica* & *mechanica* in decidendis & *ſolide* ſolvendis hiſce dubiis exulat.

§. IV.

Et ita ferme plurimas *Alterationum* ſpecies *natura* humana ſua *ſponte* adminiſtrare æque poteſt ac ſolet, ſiquidem *vitales motus* ſub illius *dominio* exiſtunt, adeoque ab eadem ſub diverſa occaſione & neceſſitate *augeri* & *imminui* poſſunt, commune ſane eſt phænomenon, ubi natura *vias* conſtringit & *ſalutares* fluxus cohibet, adſtringit & *ſupprimit*, ut nullis *artificialibus* cauſis opus ſit, dum ideales & *patheticæ* commotiones huc *promptiſſime* & *efficaciſſimè* ſatisfaciunt, ita ut multis modis atque reſpectibus hæc *ſpontanea* adſtrictio ſuperet *illam*, quæ per *medicamenta* provocata fuit: quoties non porro ſua *ſponte* natu-

ra

ra *apertiones* inſtituit, inſigni teſtimonio *Hæmorrhagiarum* ſpontanearum, *catarrhorum* fluentium, reparationis Hæmorrhagiarum recentarum & *amiſſarum*, aut aliquando reſerationis occluſorum & *induratorum viſcerum*, partium & regionum; ubi quidam tumores *ſucceſſive* evaneſcunt & pars affecta uſui ſuo reſtituitur; quem quæſo latet, quomodo ſatis ſæpè prægreſſas inflammationes & vulnerationes aliquandiu *tumor* quidam in *ambitu* comitetur, qui cum tempore *ſponte* iterum partem illam deſerit: prætereа non raro *citra* ullum *remediorum* uſum natura in humores *reſolventem* efficaciam exſerit, dum *auget* partim *pulſum*, partim *tonum* & ſanguinem fortius in partes, *diſſolutioni* humorum inſervientes, impellit & per eaſdem æque ſtrenuè transprimit: inſigne hujus circumſtantiæ documentum occurrit in febricitantibus *plethoricis*, in quibus *natura ſuperfluum* & *moleſtum* ſanguinem hoc ipſo *diſſolutorio* effectu quadantenus *imminuit* & in *ſerum* excrementitium convertit: proinde etiam interdum *ſpiſſiores* humores eadem natura *ſpontaneo* actu incidit & *attenuat*, dum è reliqua maſſa ſanguinea quandoque ſerum *ſalinum* intra ventriculum & inteſtina ſeponit & illic obhæreſcentes *ſpiſſiores* materias *attenuat* & *inciſorio* ſalino effectu fluidiores & *mobiliores* reddit: & id ipſum quidem ordinarie contingit, quando *ſaliva cibis* affunditur, quæ ſub *coctionis* actu hoſce incidendo diſſolvit: ita etiam ordinariè *ſerum* intra *inteſtina* transmittitur, quod *ſpiſſiora* recrementa *mucida* fæculenta *colliquat* & ad faciliorem excretionem præparat: pari capacitate natura alienas materias abſtergit & quidem cum eadem ſpontanea activitate, dum affuſa *bilis* tam in *inteſtinis*, quam in *primis* reliquis *regionibus* materias *ſpiſſiores* non modo *colliquat*, ſed dum affluens *fluidior* ſeroſo-mucilaginoſa ſubſtantia *reliquas* materias *involvit*, elubricat, hoc modo abſtergit

& ad *promptiorem* excretionem diſponit, aut quando intra *pectus fluidam* mucilaginem congerit, quæ præſentes *ſubtiles ſeroſas*, aut *ſpiſſiores* mucidas materias eluit, *emollit* & elubricat, & ita penitus abſtergit, aut quando *internis ulcerationibus*, quale quid in *Hectica* Febre contingit, impuritates adhærentes ſeparat & *repurgat*, ne citius talis *labes* partem quam occupavit, *depaſcat*: & quam frequens quæſo eſt naturæ actus *diſcuſſorius ſpontaneus*? quot non *inflammationes* ſub moderato tantum *regimine ſponte* diſcutiuntur? quot non *ſuperficiales*, *ſtaſes*, *rubores*, *maculæ* &c. *ſpontè* evaneſcunt, ubi *ſucceſſiva diſcuſſio* facilè in *ſenſus* incidit, ſiquidem illi *motus*, qui ad inducendam & abſolvendam *diſcuſſionem* ſpectant, ſub *naturæ poteſtate* exiſtunt: ita etiam interdum *ſponte* humores *incraſſare* poteſt *natura*, quando eosdem *frequentius* ad certas regiones corporis *congerit* & illic aliquandiu *detinet*, ubi evenit ut ſanguis & *floriditatem* & *fluiditatem* ſuam quadantenus amittat, teſtimonio *Hæmorrhagiarum* poſt prægreſſam *contumacem* congeſtionem demum erumpentium & ſanguinem *ſpiſſum* æque ac nigricantem ſiſtentium, inde nonnulli ex hac circumſtantia *ſeducti*, crediderunt & aſſeruerunt: quod ſanguis *menſtruus* ſit *virulentus* & *hæmorrhoidalis* ſit fæculentus atque *atrabilarius*: non minus eadem *natura* facile maſſam ſanguineam *incraſſare* poteſt, quando è partibus *ſuperficialibus* muſculoſis ſanguinem ad *interiora* reſtringit & in alveis capacioribus detinet, ubi ob denegatum *ſufficientem tranſitum* per partes *poroſas*, in quibus alias ſuam *fluiditatem* nanciſcitur, denique *ſpiſſiorem* conſiſtentiam induit: non minus *incraſſatio* humoribus inducitur, quando *fluidior* ſubſtantia ſeparatur & *excernitur*, ſicuti frequentes *diarrhœæ* ſpiſſitudinem ſanguinis conciliant: & quid *coctio* in febribus aliud eſt, quam *particularis* materiæ febrilis peccantis *involutio*,

abſter-

abſterſio & incraſſatio : de reliquis modis quibus ſanguis *citra* remediorum uſum incraſſari poteſt, hoc loco ſermonem inſtituere non placet : neque etiam naturæ facultas deeſt, qua *emollitionem* tam diverſis materiis *fluiditati* alias dicatis, quam partibus *ſolidis ſponte* inducere poteſt, ita interdum *emollit* & diluit *viſcidam* ſaburram in ventriculo hærentem per affuſionem *fluidioris* ſubſtantiæ ſeroſo-aquoſæ; non minus emollit *inteſtina* ſub copioſioribus *pituitoſis* alvi fluxibus, quando ſeroſo-mucidam *fluidiorem* ſubſtantiam *copioſius* & frequentius ad *inteſtina* congerit: ſimilem *emollitionem* perpetrat in *pulmonibus*: & quando in una aut altera parte congruum *tonici* motus gradum *remittit*, tunc in eadem parte *laxitas*, mollities & flacciditas occupat: ita etiam ſponte ad diverſas partes *copioſius* ſanguinem congerere & *maturationem* perficere poteſt, quos actus & effectus nonnunquam remedia *attrahentia* & *maturantia promovent*; ut ita palam fiat, quomodo *natura pluri mas* illas *Alterationes*, quarum in ſpecimine *tertio* præſentis tractationis mentio facta fuit, *ſponte* adminiſtrare queat: eapropter vero non *præcipitato* auſu concludere licet, quaſi *Alterantibus* remediis *non opus* ſit in *Therapia* medica, quoniam *natura* has Alterationum ſpecies *ſponte* exercere poſſit: ſiquidem *non ſemper* id quod *poteſt* natura, etiam *actu* celebrat, quidquod ſubinde *circumſtantiæ* ita ſunt comparatæ, quo minus *ſemper natura* capacitatem ſuam exercere poſſit; hinc *artificialis Alteratio* ſuccurrere debet, ubi *ſpontanea deficit.*

§. V.

Poſteaquam hactenus *generales* animadverſiones præſenti tractationi præludentes & ad totum Alterationis negotium ſpectantes expoſuerimus , nunc reliquum filum pertexere & penſum noſtrum abſolvere placet, ſiquidem adhuc quædam Alterationum ſpecies exponendæ ſunt,

quarum modus operandi etiam aliquali illuſtratione indiget: progredimur itaque ad HUMECTANTIA remedia, quæ nimiæ *ſiccitati, denſitati* & connexæ *immobilitati* alicujus objecti, imo etiam *aſperitati* oppoſita ſunt, quemadmodum medicamenta quæ *humectant* etiam *levigantem* qualitatem habent; quoniam vero *præternaturalis ſiccitas* tam in *interno* quam *externo* corpore contingere poteſt, ita *Humectantia* remedia in *toto* corpore conveniunt: operantur hæc medicamenta per *fluidam* humiditatem *aquoſam*, aut dilutam & *fluidam mucilaginem*, nec non *ſimplicem* fluidam *pinguedinem*: priora materias *ſpiſſiores* & *ſicciores* eluunt, in fluorem convertunt & quo eædem ulterius & aliorſum *promoveri* queant in conſiſtentiam humidam & *mobilem* convertunt, ne viis & partibus in & adhæreſcant, neque easdem *occludant* & functiones *vitæ* & *ſanitati* ſubſervientes offendant, atque ſufflaminent: ita præcipue interdum *ſanguis* in *tota* ſua *maſſa* adeo *ſpiſſus*, terreſtris & ſiccus eſt, ut difficulter per partes *arctiores* poroſas tubuloſas & cribroſas progrediatur, ſed variis *ſtagnationibus* & *ſtaſeos* periculis anſam præbeat, hinc adminicula *aquoſa* humiditate prædita *ſpiſſam* talem maſſam ingrediuntur, eluunt, *eliquant*, humectando ſeparant & *extenuant*, ne ita cito *coaleſcant* & congrumeſcant: quoniam *maſſa* ſanguinis præcipue per *mucilaginem* & *gelatinoſam* lympham in *coagulationem* tranſit, ita *humida mucilaginem* diſſolvunt, *eliquant*, extenuant, quo minus conglutinentur; quo magis vero *muciditates* tales ſufficienti ſua *humiditate* deſtituuntur, eo facilius iterum congrediuntur, *conglutinantur*, obviſcantur & ex *lenta* atque tenaci tali conſiſtentia denique in *tophaceam* ſiccitatem & *duritiem* degenerant: hinc *humectantia* remedia non modo maſſam *ſanguinis*, ſed ſeorſim etiam *alios* humores mucilaginoſos & *lymphaticos* mobiles reddunt, ſive convenienter & ſufficienter *fluidificant*, quo ulterius præparari, repur-

repurgari & ſeparari poſſint: ita etiam *oleoſa* effectum *humectationi ſimilem*, aut cum humectantibus *cooperantem* exſerunt, dum *ſiccas* & *tenaces* ſubſtantias *leniunt*, perluunt, lævigant & *mobiliores* reddunt; quale quid tanto facilius contingit, ſi *ſimpliciora* humectantia *conjunctim* exhibentur: proinde eadem Humectantia *liquida, potulenta, aquoſa* aut dilutiora mucilaginoſa vias & partium internarum *ſuperficies*, quas contingunt, ſi *ſiccæ* & à flexilitate & lenitate *alienæ* fuerint, *diluunt*, liquant, *leniunt*, flexiles & *mobiles* reddunt, ſubinde ita præparant, ne *aliæ* materia iisdem facilius *adhæreant*, ſed eo promptius *abluantur* & transprimantur; hac ratione *internum* corpus humectant *aquoſæ* ſubſtantiæ, quæ aliàs per *tranſpirationem* inſenſibilem ſecedere ſolent, quando talis tranſpiratio *impeditur*, ut à *peripheria* ad *interna* viſcera retrocedant tales humiditates: quare *ſiccitas pectoris* emendatur, quando pectus cum *oleo* aut *pinguedine* inungitur, hinc *expectoratio* humida mucida promovetur: idem contingit in *infantibus*, quando *nares* ipſis ſunt *obſtructæ*, ubi mulierculæ extrinſecus *nares* cum *pinguedine* delinire ſolent: *ſimilis* effectus etiam obtinetur, quando inteſtina valde *ſicca* ſunt & *abdomen* eodem modo *inungitur*: proinde diverſis partibus congrua *Humectatio* conciliatur, ſi *intra illas* ſufficiens ſanguinis *fluidioris affluxus* promovetur: poteſt præterea *Nitro* & *ſalibus liquidioribus* & ſolubilioribus deterſivis aliqualis *humectans* efficacia adſcribi, quando hæc remedia *ſpiſſitudinem lymphæ* & mucidítatis quantiſper *colliquant* & emendant, ut hi humores fluidiores evadant, adeoque majorem humiditatem præſentent; quod ſi etiam *externæ* partes ob contumacem *conſtrictionem* duræ & *aridæ* fiant, tunc eadem *aquoſa* & mucilaginoſa, nec non *oleoſa* pinguia remedia per *immediatam* ſuam applicationem *contractas* & *arefactas* partes *relaxant*, molles & *flexiles* reddunt, ſubinde efficiunt, quo *ab intra* hu-

mores iterum illas *ingredi* queant, unde eædem *denuo* humectantur, qualis effectus ita à *balneis*, *fomentationibus*, *inunctionibus*, *cataplaſmatibus* calidis *frictionibus* obtinetur.

§. VI.

Humectantibus remediis oppoſita ſunt EXSICCANTIA, quæ *relationem* habent ad ſanguinem nimis *aquoſum* & pituitoſum, nec non ad partes *ſolidas*, ad quas *exceſſive* humores affluunt, easdemque ſucceſſivè magis *eliquant*, *relaxant* & ad corruptiones diſponunt: non quidem de eo nobis in præſenti tractatione ſermo eſt, an etiam *Exſiccantia* remedia in talibus caſibus, ubi humiditas *abundat*, *tuto* adhiberi poſſint & *quomodo* illa uſurpari debeant; de eo potius nobis impræſentiarum agendum eſt, quo *modo* & *quot modis* talia remedia *operantur*: exſiccant itaque quædam remedia, quæ *ſuperfluam* humiditatem *evacuant*, ſive ſint purgantia, ſive *diaphoretica* ſive *diuretica* ſive alia, quæ proximo modo ſubtrahunt præjudicioſam *aquoſam* & pituitoſam ſubſtantiam: hinc ex experientia conſtat, quomodo *frequentes* & *copioſæ* purgationes non modo ſanguinis *ſpiſſitudinem* & comparativam ſiccitatem concilient, ſed quomodo *primas vias* in ſimilem ſuſpectam *ſiccitatem* convertant, ut *alvina* excertio in futurum admodum *difficulter* ſuccedat, & fæces alvinæ *duræ* & ſiccæ evadant: eapropter vulgo tales evacuationes in *Cachexia* & *Hydrope* ordinantur, quia in hiſce affectibus hæc ſuſpecta humiditas *abundat*, interim etiam in Therapia medica cum *hoc modo* Exſiccationis *prudenter* procedendum eſt: *alius* modus *exſiccandi* humores eſt, quando paulo *majori* quantitate ſicca terrea & craſſa remedia offeruntur, imprimis quæ ſimul *adſtrictoria* virtute prædita ſunt, velut *uſta*, *cretacea*, *fabacea*, *bolaria*, *lutoſa* &c. quæ non modo propter terreſtreitatem ſuam humores *incraſſant*, coagulant & ſicciores reddunt, ſed & propter *ſpecialem* ſuam *lutoſam* conſtitutionem cum

humi-

humiditate aquoſa fluida citius ſe commiſcent, quare *domeſticum* exemplum occurrit in pratis & arvis *lutoſis* am lettichten und donichten Feld, quæ tellus communiter eſt *ſicca, arida, exſucca, calida:* de qua œconomiæ periti dicunt: es verbrennen die Früchte darauff. *adſtringentia* vero remedia in tantum hanc *exſiccationem* adjuvant, dum vel humorum *coagulationem* promovent, vel *vias* occludunt & *conſtringunt* in quibus humores ſuam *fluiditatem* & humiditatem obtinent, unde etiam illa *organa* obſtruunt, per quæ *humiditas* intra humores transferri debet, aut has partes *oppilant*, in quibus illæ materiæ *ſe* & *excernuntur*, quæ alias humorum *ſpiſſitudinem* & ſiccitatem inducunt & accelerant: quæcunque itaque *adſtringunt*, ſive *craſſius terreæ* ſive *ſubtilius ſalinæ* & *acidæ* indolis fuerint, illa ſimul *exſiccantem* effectum poſt ſe relinquunt: dantur etiam remedia, quæ partibus *ſolidis Exſiccationem* inducunt, quo minus vel ordinarius vel extraordinarius & exceſſivus humorum *affluxus* ad illas continuet, unde ſucceſſive *exareſcentia* iisdem conciliatur: ita nonnunquam aliquam partem largus *decubitus catarrhalis* affligit, aut quandoque ad *ulcus* ſuperficiale nimia quantitas *humiditatis affluit*, ut aliquali *Exſiccatione* & illius affluxus *averſione* & cohibitione opus ſit: ob id talis *Exſiccatio* ſuccedit vel per modū *retropreſſionis* humorum, quo præcipue *adſtringentia* & *repellentia* imprimis *ſulphurata* remedia conferunt, vel ſi *immediate* copioſa & plane ſuperflua illa humiditas attingi poteſt, præter hunc modum exſiccandi, etiam *terrea* remedia applicata, quæ inter chirurgos *epulotica* & *eſcharotica* audiunt, *incraſſant* & exſiccant, quem modum, ut monuimus, interdum in *chirurgicis* caſibus præcipue neceſſarium judicant artifices; licet aliàs in genere hic modus per *adſtrictionem* & repulſionem *exſiccandi* non admodum *latus* exiſtat: quando vero in materia medica *Camphoræ exſiccans* qualitas adſcribitur, tunc

hæc

hæc qualitas non admodum *probata* eſt, attamen ſi ad *ſuperficiales ſtagnationes* mucido-ſeroſas adhibetur, tunc *tenuiorem*, mobiliorem & *ſubtilorem* portionem *diſcutit*, *craſſior* vero ſubſtantia in loco affecto *obhæreſcit* & contumacem atque *refractarium* tumorem & infarctum conſtituit: alioquin etiam *ſupppoſita* hæc virtus camphoræ *exſiccans* vix ita *ſimplex* eſt, niſi *diſcuſſorio* effectu, cum camphora adminiſtrato, copioſus humidus *affluxus* à quibusdam partibus avocetur, & per conſecutionem comparativè dicendo pars illa quadantenus *ſiccior* reddatur, teſtimonio *coryzæ habitualis*, catarrhalis *defluxionis* intra oculos *manantium* capitis ulcerationum, ubi camphora in nucha, vertice aut collo geſtata ſucceſſivè has humectationes & catarrhales *affluxiones diſcutit* & nimiam partium humectationem avertit.

§. VII.

Poſteaquam Exſiccantium hoc ordine mentionem fecimus, nunc placet de aliis *Alterantium* ſpeciebus diſſerere, quæ cum Exſiccantibus aliqualem conſenſum habent: in præcedentibus mentio facta fuit EPULOTICORUM & ESCHAROTICORUM ſive remediorum quæ in foro *chirurgico cicatrices* & *cruſtas* promovere ſolent: & horum *modus operandi* vix alius eſt, quam ut *exſiccante*, *coagulante*, *incraſſante* & *adſtringente* effectu *ſuperficialis* talis *condenſatio* concilietur: quod enim *cicatricum* & *cruſtarum* generationes attinet, tunc eædem non niſi *induratione* & *incraſſatione* humorum affluentiū perficiuntur, quamdiu enim in affecta parte nimis *fluidi* continuant *affluxus*, tamdiu nulla expectanda eſt *concretio*, quando vero eo usque *ſuperficiales* quædam læſiones & continuitatis vitia *repurgata* & præparata ſunt, ut *ultimam* denique conſolidationem expectent, tunc *continuans affluxus* & affectæ partis humectatio, quæ concretioni *reſiſtit*, coercetur per *immediatam* applicationem prædictorum remediorum,

orum, quæ *affluentem* copioſam humiditatem *inſpiſſant*, adeoque fundamentum ad *cruſtam* & *cicatricem* conſtituunt: hinc vel ulterior affluxus *reprimitur*, vel ſemel inducta *ſicca* & cruſtacea ſuperficies *ulteriorem* affluxum impedit, ut denique *ultima concretio* ſuperveniat: quo loco minimè placet *diffuſè* demonſtrare, quomodo in hoc negotio etiam *naturæ concurſus* requiratur, cum *ſola exſiccatio* & *incruſtatio* ſuperficiei nondum *perfectam* quandam contextionem & *conſtructionem* abſolvat: monendum vero præterea eſt, quod *aliquando* epulotica & eſcharotica remedia operentur, quando in loco affecto ob *defectum* neceſſarii & ſufficientis *affluxus*, qui concretioni & *conſolidationi* reſpondere debet, excitatur conveniens talis affuſio materiarum *lymphatico mucilaginoſarum* bey trockenen Schäden, quo denique *cruſta* & *cicatrix* formari queat, ubi aliquando in loco affecto & vigor *activitatis* & materiarum neceſſariarum *præſentia* deficit: quapropter ad *cruſtam* generandam interdum *acria* ſubjecta ut ariſtolochia, caryophyllata, gentiana commendantur, interdum plane *cauſtica* vel *corroſiva* ordinantur, quæ partim neceſſarium *affluxum* humorum è quibus *eſchara* deinceps formanda eſt, provocant, vel *præſentes* humores *fluidos coagulant*, quo eo facilius in denſam & *ſpiſſam* talem conſiſtentiam *cruſtaceam* convertantur: *ſimilis* modus operandi animadverſioni noſtræ ſeſe ſubjicit in *paroticis*, ſive *callum* generantibus remediis, qualia *catagmatica* auxilia perinde per *modum adſtrictionis* & *incraſſationis* operantur, quando *affluentes* humores *gelatinoſi* lymphatico-mucidi *incraſſantur*, deinde vero affectis locis annectuntur, qui motus *appoſitionis* & *accretionis* iterum non ita *promiſcuè* remediorum *phyſicæ* efficaciæ, ſed *naturæ* adſignandus eſt, ſiquidem *occalleſcentia* ad *reparationem* læſæ partis maxime vero *diffracti oſſis* pertinet; quæ *regeneratio* & repa-

ratio cum ad *officium nutritionis* ſpectet, ita minimè à *corporis* & materiarum *directione*, ſed potius à *natura* pendet, cui *intereſt*, quo corpus ſit integrum & *ſalvum* & quæ ſubinde illa *notitia* pollet, *quando* & *quomodo* corpus *læſum* eſt & *quomodo* iterum *reparari* debeat; proinde hanc *occalleſcentiam* in oſſe *fracto* adjuvant *adſtringentia* ab *extra* appoſita cujus indolis ſunt emplaſtra *catagmatica*, quæ, dum ad *ſuperficialem* partis *conſtrictionem* contribuunt, tantum efficiunt, quo humores *propius* ad affectum locum *appelli* & congeri queant, quam copioſiorem & propiorem humorum *appreſſionem* poſthac *calli* geneſis & plenaria *obfirmatio* atque reparatio læſæ partis excipit: aſt iterum monendum eſt, quod illa *adſtringentia* remedia non hanc *virtutem* habeant, quo humores *proxime* ad locum affectum *dirigant* & comprimant, quemadmodum illorum efficacia *indifferens* eſt, ut *æque facile* humores *confuſe* diſpergi & *diſſipari* ac *convenienter* ad locum affectum transferri & applicari poſſint, quare illa *directio* humorum ad *eundem* locum & *calli* generatio, præparatio atque fracturæ reparatio, quæ uſum *catagmaticorum* remediorum conſequitur, *naturæ* & minime *corpori* aut *remedio* adſcribi debet: præterea *oſſium regenerationi*, conſolidationi, obfirmationi & reparationi conveniunt *interna terrea* abſorbentia, mucilaginoſa, & *gelatinoſa*, ubi iterum hæc remedia *non per ſe* ad læſam partem convolant, neque ita *fortuito* ſub communi & *generali progreſſu* humorum eidem adhærent, ſed quia hæc remedia *eſſentiæ* & conſtitutioni oſſium admodum *conformia* ſunt, dum *oſſa* nil niſi *exſiccata* & condenſata *mucilago* ſunt, ſiquidem in negotio *generationis* per initia quoad ſua *rudimenta* talem mucilaginem conſtituunt, quæ ſucceſſive *inſpiſſatur*, occalleſcit & denique in *oſſeam* duritiem convertitur; unde iterum ſub concentrata coctione denuo oſ-

ſa

ſa eadem adeo eliquari poſſunt, quo in eandem mucilaginem revertantur: quando itaque *fractura oſſium* adeſt, tunc omnino *tales* materiæ requiruntur, quando *læſio* talis *reparari* debet, quæ *oſſeæ conſiſtentiæ* conveniunt, cujus indolis ſunt prædicta terrea & mucilaginoſa: hæc *a natura* ſucceſſive *ad locum affectum* appelluntur & *apponuntur*, ut ita oſſa *læſa* denuo conſolidentur & *confirmentur*.

§. VIII.

Convertimus nos jam ad alias Alterationum ſpecies & quidem ad famigerata illa CALEFACIENTIA remedia, horumque modum operandi: hæc remedia ordinantur, quando *ſufficiens* calor naturalis *deficit*, quare etiam *connexæ* aliæ qualitates *vitalitati* & *ſanitati* inſervientes, ceſſantes, *Calefacientium* remediorum circumſpectum & *dextrum* uſum requirunt; ad has qualitates præcipue pertinet ſufficiens humorum *fluiditas* & juſta illorum *craſis*, quæ præ aliis commodis œconomiæ vitali ſubveniunt: nunc vero ex indole *caloris naturalis* recte perſpecta, ſubſumere licet, *quomodo* Calefacientia remedia operentur: *oritur* itaque *calor* naturalis, quando ſanguis, cum ſufficienti quantitate *ſulphurei* principii mixtus, per partes *fibroſas* & quantitate ſufficienti & *motu* convenienti *transprimitur*: haud enim *nuda inteſtina* ſanguinis commotio aut *ſulphurei* principii præſentia calorem *abſolvit*, ſed requiruntur ad hanc geneſin caloris *tria palmaria* requiſita: primo præſentia *inflammabilis* principii in aliquo ſubjecto: deinde præſentia *ſolidioris* cujusdam objecti, *ad quod* priora ſubjecta allidere, *appellere* & per quod *transprimi* & conteri debent: quo denique pertinet *ſufficiens acceſſus* hujus ſubjecti ad illud objectum ſive organon & *ſufficiens motus* illud ſubjectum per hoc organum vegete & efficaciter transvehens: & ſecundum has circumſtantias & hæc requiſita *diverſimode* Calefacientia

remedia operantur: etenim aliquando *calor naturalis deficit*, quia ſanguis nimis *pituitoſus*, aquoſus & mucilaginoſus eſt, aut quia de principiis *terreſtribus* plus participat, hinc remedia ſanguinem cum *ſufficienti ſulphureo* principio inſtruentia, *calefacientem* vim habent: etenim ſi ſanguis per partes *poroſas* & *fibroſas* convenienter transvehatur, & ipſa hæc vulgo ſic dicta ſpirituaſcentia *deficeret*, tunc calor *haud ſufficiens* inde provenit: exinde liquet cur *aromatica, ſulphurea, reſinoſa, ſpirituoſa* calefacientem vim habeant, quia ſanguinem cum illo *principali* ſubjecto materiali inſtruunt, quod *ad calorem* conciliandum abſolute pertinet: haud vero hoc loco illam *phyſicam* disquiſitionem decidendam in nos ſuſcipiemus, *cur* ad *calorem* producendum principia *inflammabilia* requirantur: cur *juſta* illorum quantitas huc requiratur? cur ex *commotione* horum principiorum calor oriatur? &c. utpote in quibus animadverſionibus *phyſicis* multæ *ſpecialiſſimæ* tales circumſtantiæ & ſunt & manebunt *occultæ* & *obſcuræ*: interim hoc loco tantum *talia requiſita* & tales circumſtantias produximus, quæ *ratio* percipit & *experientia* confirmat, adeoq; *indubia* ſunt: *alio* proinde modo *calefaciunt* remedia, quæ *motum* ſanguinis *augent*, quod ex parte valet de *impulſu* ſanguinis, quippe qui multum cohæret cum *inteſtina* ſanguinis commotione, ita ut ſecundum motus *inteſtini augmentum*, etiam motus *progreſſivus* augeatur, prout hoc alibi fuſius demonſtratum fuit; etenim *ſolus* motus *inteſtinus* non *abſolvit* calorem & licet ex *inteſtina fermentativo-putrefactoria* commotione fimeti, aut acervi fœni madidi *calor*, imo *flamma* generetur, tamen hæc *incaleſcentia primario* adjuvatur, per *alliſionem* repentinam & comparativè fortem mobilium, *inflammabilium* pinguium ſubſtantiarum, ad *terreſtres* interſperſas: eapropter eadem *ſpirituoſa*, *ſulphurea*, ſubtilia, volatilia, valde *mobilia*

bilia ſubjecta calefaciunt, hinc *vinum* calefacit, hinc *aromatica*, ſpiritus vini, ſubtilia & concentrata *oleoſa ſulphurea*, vaporoſa calefaciunt, quia *impulſum* ſanguinis augent, quia per *inteſtini* motus *augmentum*, etiam *alliſionem* ſanguinis ad interpoſitas *ſolidas* partes augent: exinde *major* incaleſcentia provenit: *calefaciunt* porro remedia, quæ *ad partes ſolidas* ſufficientem & vegetum ſanguinis *affluxum* & *appulſum* provocant, ſicut viciſſim *repreſſio* ſanguinis *ab hiſce* partibus in tantum calorem *extinguit*: evidenti teſtimonio paroxyſmi in intermittentibus febribus tam *frigoris*, quam *caloris*: quando enim denuo ſanguis circumfluens ad & intra partes ſolidas *admittitur*, tunc non modo *calor redit*, ſed & ſecundum diverſitatem circumſtantiarum interdum plane *augeſcit*; quare *frictiones* ſuperficiales *calefacientem* vim habent, dum *ad eandem* ſuperficiem *copioſiorem* ſanguinis *affluxum* provocant: uti ſatis cognitum documentum occurrit in *congeſtionibus* ſanguineis, *majorem* incaleſcentiam loci affecti involventibus: ex eodem fundamento *balnea* particularia calefacientem effectum poſt ſe trahere ſolent, quando *ſtrictura* & occluſio certarum regionum ſolvitur & ſanguini *affluenti* denuo acceſſus & *ingreſſus* conciliatur: ſed *neque* hic copioſus aut legitimus *affluxus* ſolus atque *nudus* calorem abſolvet, niſi eundem *ſufficiens appulſus* & tranſpulſus comitetur: quare juſta *motus tonici* conſervatio vel augmentatio calefacientem qualitatem habet: ob id per *relaxationem* & toni enervationem calor *imminuitur* & ſi hic *tonus* penitus *ceſſat*, licet ſanguis *ſufficienter* floridus ſit & copioſe *affluat*; nullus tamen calor major conſequitur, ſed potius præternaturale *frigus* excipit, luculento *paralyticorum* affectuum teſtimonio: conveniens vero *augmentum motus tonici*, quo mediante ſanguis ad certas corporis regiones vegete *appellitur* & congeritur, nec non *per illas* partes

efficaciter transprimitur, ſatis manifeſtè *calorem auget*: ſimili *congeſtionum*, *rhevmatum* & *inflammationum* teſtimonio: neque denique in hac meditatione oblivioni tradere volumus, quomodo internè & externe *ſtimulantia*, *vellicantia*, *rodentia*, *rubefacientia* &c. *calefactoriam* conſecutionem involvant, quia *ad loca* affecta ſanguis & *copioſius* & *intenſius* affluit, unde ob ſeceſſionem *acrium ſeroſorum* apoſpaſmatum ad *ſenſibiles nervoſas*, membranaceas, tendinoſas partes & conjunctam *vellicationem*, ſatis ſæpe *ardor* major combinatur: quæ ſingula potiora ſunt momenta, quæ circa indagationem *modi*, quo *calefacientia* operantur, notanda ſunt: de modo calefacientium, *per ſe* jam calidorum, hoc loco latius differere non placet, quoniam hic modus ex hactenus dictis facilè inclareſcit, dum talia calida non modo *ſimplici* effectu calefaciunt, ſed *augendo motum* ſanguinis & promovendo *affluxum* ſanguinis ad ſuperficiem calefacientem effectum exſerunt.

§. IX.

Calefacientibus oppoſita ſunt REFRIGERANTIA, quorum *diverſum* operandi modum in ordine nunc perſpiciemus: brevibus vero indicamus, quod hæc remedia in *illis* caſibus *generice* quidem ordinentur, ubi *ſuſpectus* quidam *calor* & ardor affligit: haud tamen hoc loco illam *ſpecialem* diſquiſitionem ſuſcipiemus, an æque *refrigerantium* uſus *ſecurus*, *neceſſarius* & *conſultus* ſit, ſed tantum perſpiciemus, *quomodo* & *quotuplici* modo talia remedia *operentur*: non quidem in hac animadverſione *latius* diſpiciemus, quomodo *actuale* frigus operetur in corpus *vivum*, quod *phyſico* ſuo effectu *fluidas* præcipue partes *coagulat*, condenſat, incraſſat, proinde etiam *flexiles* partes, quæ cum *humiditatibus* imprægnatæ ſunt, eodem *condenſatario* effectu impedit, quo minus convenienter cum *vitali*

mo-

motu inſtrui queant, quare ad *præoccupandum* hunc pernicioſum effectum, partes fibroſæ *conſtringuntur*, humores reprimuntur & in *ſalvum* ducuntur; inde contingit, ut *propter* illam *conſtrictionem* ſive *totalem* ſive *partialem* & connexum *denegatum ingreſſum* ſanguinis in illa loca, loco *caloris* naturalis, *frigus* tale conſequatur: aliàs etiam notare convenit, quomodo *major* calor oriatur, ſi ſanguis, præcipue *floridior* & *fluidior fortiori* motu per partes *ſolidas* transpellitur, ad quam commotionem aliquando ipſa *ſuperflua* ſanguinis quantitas diſponit, interdum vero *major* *ſeri* ſubtilioris *orgaſtici* commixtio cum reliqua maſſa ſanguinea eo contribuit, quo non modo *inteſtina* ſanguinis agitatio augeatur, ſed & ſubinde *intenſior impulſus* & progreſſus conjungatur, qui illius *acrioris* & orgaſtici ſeri *ſeparationem* & evacuationem concernit: quæcunque itaque *Refrigerantia* remedia in penu materiæ medicæ occurrunt, illa ad has commemoratas circumſtantias comparari debent: aliàs enim *actualia frigida* ſubjecta ad *extinguendos* internos, imo utplurimum etiam externos ardores *non ſecure* adhiberi poſſunt, teſtimonio *talium* Refrigerantium ſubjectorum, in *Febribus* & *inflammationibus* aſſumptorum, quæ cum ita *repente* operentur, per extremam hanc *oppoſitam* qualitatem, *funeſtos* effectus cauſantur: hinc paulo *ſecuriores* modi refrigerante effectu operandi in Therapia medica conſtant: neque ſubinde inter remedia *tales* ſpecies conſtant, quæ *poſitivè* aut actu *refrigerare* poſſent, licet *paſſim* multa Refrigerantia remedia allegentur, quorum tamen *modus* operandi utplurimum longe *alius* eſt, ac *vulgo* quidem traditur: etenim interdum *ſuperfluus* calor, qui cum urgente ſanguinis *abundantia* conjunctus eſt, *minuitur* per convenientem moleſti & *ſuperflui* ſanguinis *imminutionem*: quando enim præcedentes *intenſiores* & frequentiores commotiones *plethoræ*, quarum *conſectarium* fuit moleſtior *incaleſcen-*

ſcentia, ad depletionem & *exonerationem* abundantis ſanguinis communiter contendunt, tunc actualis *artificialis* ſanguinis ſubtractio motuum *præcedentium* ſcopum & *finem* adimplet, quo fine *acquiſito*, *complacantur* illi *motus* & *connexi* moleſti ardores atque *æſtus*; hinc in comparatione ad præcedentes *orgaſmos* & ardores vel inſolitos *æſtus*, *tepor* quidam, ſive moderata *Refrigeratio* excipit: ita præterea contingit, ut, ſi *æſtus* major *nititur fortiori* & vehementiori *motu* ſanguinis, poſthac remedia hos motus, *lenientia*, *temperantia* & *ſedantia refrigerantem* effectum poſt ſe relinquant; quando enim motus *remiſſior* evadit, tunc *æſtus* etiam *miteſcit*, hinc *ſedativa ſelecta* interdum pro *refrigerante* ſcopo uſurpari poſſunt, modo illa *non nimium* de ſulphure vaporoſo participent, quæ ad moleſtas & *ſuſpectas orgaſticas* commotiones contribuunt: quo minus vero ſanguis tam facile *turgefactoriis* commotionibus obtemperet, eo certius in quibusdam caſibus *moderata incraſſatio* ſanguinis, ſive per *acida*, ſive per *mucilaginoſa* contingat, *refrigerantem* uſum inducit: & id tanto *certius* evenit, quando ſanguis *nimis ſubtilis* & fluidus hiſce *ardoribus* patrocinatur: ita perinde evenit, ut, ſi ſanguis *admodum floridus* & *ſulphureus* ejusmodi moleſtis & ſuſpectis *exæſtuationibus* anſam præbet, tunc & in *tali* caſu, adminiculula ſanguinis *floriditatem* minuentia, *diluentia abſorbentia*, *mucilaginoſa* hoc modo *refrigerantem* effectum involvant; aut ſi nimia *ſeri ſubtilioris*, *acrioris* & *orgaſtici* copia in maſſa ſanguinea ad *turgefactorias* & *æſtuoſas* illas commotiones cauſam ſuppeditat, tunc *modeſtæ diaphoreſes* & *diureſes* tantum efficiunt, quo *æſtus temperetur* & moderatum *Refrigerium* ſubſequatur: quodſi etiam inſolitus *calor nitatur* nimio *tonici* motus *augmento*, aut nimia *ſenſibilitate*, tunc moderata *relaxatio* partis & hebetatio ſive *ſedatio ſenſus* refrige-

ge-

gerantem effectum poſt ſe trahit: Seorſim vero *Nitro* per communis ferme ſuffragium *refrigerans* efficacia attribuitur, quæ tamen *vario modo* procedit, dum partim *motus nimios temperat*, partim *alium ſenſum acutiorem* & ſubtiliorem *demulcet* atque lenit, partim etiam per *promotionem diureſeos* ſeri orgaſtici evacuationem adjuvat, minimè tamen *craſſe* refrigerantem ſenſum in *intimiores* corporis partes transfert, uti quidem fruſtra *vulgo* traditur: nam *ſapor Nitri* qui *ſpecialiſſimus ſalinus* eſt, à ſapore *glaciei* & ſimplicis atque *actualis refrigerii* adhuc multum *diſcrepat*: quod denique *famoſa* illa *ſemina refrigerantia* attinet, tunc decantata hæc qualitas magis *ſuppoſita*, quam *vera* eſt: quicquid tamen *refrigerantis* effectus involvunt, id cum *mucilagine* ſua, qua maſſam *ſanguineam* aut *ſerum acre* elubricant *perficiunt*: alia denique *Refrigerantia* ſic dicta remedia, *tali* modo operantur, uti *Nitrum*; quia de *nitroſa* indole participant.

§. X.

Progredimur jam ad TEMPERANTIUM modum operandi explicandum; qualia remedia in *triviali* materia medica & Therapia vel *non ſatis* cognita ſunt, vel *cum aliis* remediorum ſpeciebus paulo moleſtius & *inſecurius* motus coercentibus, *confunduntur*, ſed quæ ipſa tamen in *medicina* practica eximiam & *probatam utilitatem* habent: ſunt itaque nobis illa *Temperantia* remedia dicta, quæ motum *tonicum vitalem* vel *excedentem* vel *inordinatum* cum *ſecuritate* & *moderamine* mitigant & *tranquillant*, adeo ut nulla *coactio* & *violenta* aut *immoderata* repreſſio & *cohibitio* ſuccedat, ſed ubi cum *leniſſimo* effectu declinantes & *degenerantes* tales motuum *gradus* complacantur: notandum vero eſt, quod hæc *Temperantia* remedia cum *tonico* motu præcipue ſuum *commercium* habeant & *per hunc* conſecutive in *progreſſivum* ſanguinis motum ope-

rentur, ſiquidem *pulſus*, *tonus* & *progreſſus* ſanguinis in *exquiſito* quodam *connubio* conſiſtunt: neque inconvenienter etiam hoc loco *lenientia* adminicula *Temperantium* claſſi annumeramus: conſiſtunt vero *tonici* motus *augmenta* atque *exceſſus*, in intenſiori partium fibroſarum, maximè *carnoſarum conſtrictione*; ut propterea *Temperantia* remedia ad illum effectum *medicum* contribuant, quo *immoderata* & contumax talis *conſtrictio* ſucceſſive *remittat*, minimè tamen in alteram *extremitatem ſimultaneæ relaxationis* delabatur: quod *remedia* Temperantia attinet, tuncilla *per ſe* non efficiunt, quo contrario & *oppoſito* quodam actu fortius *conſtrictæ* fibrillæ *retrahantur*, ſed cum motus *tonicus* ſub poteſtate & *directorio naturæ* conſiſtat, ita concludimus, *quodcunque principium* principali influendi ratione *motum tonicum auget*, *illud eundem etiam remittit*: adeoque *ultimus* temperationis effectus *naturæ* magis, quam *remedio* competit, *medicamentum* vero *naturam* diſponit & *afficit*, quo motum *auctiorem* paululum *remittat*: minime tamen *eo usque* prædicta *lenientia* operantur, quo *contra* naturæ concurſum *conſtrictas* partes fibroſas ab intra *relaxent* atq; flaccidas reddant, qui modus operandi magis *paſſivis* ſucceſſibus nititur, neque *ordini vitali* adeo exacte reſpondet, ac alia ratione motuum remiſſiones contingunt: quare in *Temperantium* modum operandi, remedia quidem *aliquid efficiunt*, ſed *ipſam* Temperationem non *perficiunt*, quod complementum hujus *actus Therapevtici naturæ* itaque adſcribendum eſt: *temperant* itaque *lenientia* remedia, quando *affectas* partes cum lenitate & *mollitie* afficiunt aut demulcent & *priſtinum* ſenſum tenacioris *conſtipationis* imminuunt; qualis ſimilis effectus occurrit, ſi partes ſuperficiales *conſtrictæ* & cum *ſpaſmis* afflictæ cum alio adminiculo *leniente* foventur, ut *priſtinus ſenſus* complacetur & *alius* ſenſus excitetur, quo vel ſimplices

ces molles & modeſtæ *frictiones* pertinent, tunc præcedens acerbior *conſtrictio* remittit, adeoque ſpaſmus *miteſcit*: hinc citra partis *actualem relaxationem*, vel ſola mitioris & *mollioris ſenſationis* conciliatio ad tale *motuum temperamentum* contribuit: & dum partes *internæ ſenſibiliores* ſunt ac externæ, ita *intrinſecus* oblata *lenientia* & demulcentia perinde moderatiorem, mitiorem & continentiorem *ſenſum* excitant, ut per *conſequens* præcedens acerbior & *immoderatior ſenſus* & connexus *motus tonicus impetuoſior* miteſcat & *temperatior* evadat: & hæc ipſa conſideratio minime *hypothetica* eſt, ſed in *actionibus* humanis *indies* occurrit, ubi una *ſenſatio* & conjuncta *æſtimatio* alteram vel *exacerbat* vel demulcet & *temperat*: ſicuti *gratorum* objectorum oblationes tunc eximie *animum tranquillant*, quando ipſe *incontinens* & perturbatus eſt: eundem morem *anima* etiam ſervat in *vitalibus* negotiis, ut propterea objecta, quæ partes leniter & *blandè* afficiunt, præcedentes moleſtiores & *immoderatiores* commotiones hoc modo componant & *temperent*: & hoc eodem modo *Nitrum ſpecificam temperantem* vim habet, quando *blandiori* quodam modo partes *ſtrictas* afficit, propter quam nitri efficaciam *phyſicam*, qua *ſenſum* præcipuè afficit, *natura ſtrictas* partes mediocriter remittit: quod enim *nitrum ſenſum* afficiat, ipſius *ſapor* teſtatur, unde partibus *ardentibus*, *prurientibus* *immediate* applicatum hoc *ſenſu* requiem affert & opem conciliat: & licet illud *nitrum* præterea *humores* aliquando alteret, tamen *hunc temperantem* effectum in prædicto modo exſerit: tanto magis vero hoc evenit, ſi *acriores* quædam *ſeroſæ*, *bilioſæ*, *ſalinæ* materiæ in aliquem locum *ſeceſſerunt*, eundemque *moleſtæ* afficiunt atque *ſtimulant*, ut immoderatiores *congeſtoriæ* aut *ſpaſmodicæ* commotiones ſuperveniant, quæ proinde hoc modo mitigantur, ſi prædictæ *irritationes leniuntur* &

Cc 2 de-

demulcentur; hinc *diluentia*, *mucilaginoſa*, *lacticinia*, *abſorbentia*, *emulſiva* &c. in diverſis caſibus *temperantem* hanc virtutem obſignant, ſed eo ipſo tanto magis *ſecuri* & *ingenui* uſus ſunt, quo magis *leniter* & *ſimpliciter* operantur, & quo magis propter hanc ſimplicitatem œconomiæ *vitali* conveniunt atque quadrant: hinc dantur *temperantia* remedia, quæ dum materias *acres corrigunt*, *motus tranquillant*, & quæ *molliorem* & mitiorem *ſenſum* excitando, *priſtinos*, *immoderatos* motuum gradus componunt & *mitigant*.

§. XI.

Nunc ſermonem inſtituemus de STOMACHICIS & CARMINATIVIS, è quibus *priora* vulgo *ventriculi* roborationi conciliandæ inſerviunt, de qua roboratione utplurimum etiam *inteſtina connexa* participant: *poſteriora* vero *flatibus diſſipandis* & excutiendis dicata ſunt, quanquam etiam *hæc* ſatis ſæpe *ſtomachicam* utilitatem & facultatem involvant: quod enim *ſtomachica* attinet, tunc *ſimplici* atque *proprio* ſenſu dicuntur ſtomachica, quæ *juſtum* & neceſſarium ventriculi *tonum* ſublevant, promovent & reſtituunt, imo quæ *connexam atoniam* corrigunt: haud vero ſemper *abſolute* talis *periſtalſis* deficit, licet interdum *inordinatius* adminiſtretur, unde ſtomachica *ad illum* effectum etiam ſe extendunt, ubi *irregularis* adeſt *periſtalſis*: *turbatur* vero periſtalſis aliquando, quando *craſſa* quædam impuritates ventriculum & inteſtina detinent, quapropter *abſtergentia*, *incidentia*, *reſolventia* & mitiora *laxantia* ſatis ſæpe ſimplicium *ſtomachicorum vices* tenent & ſtomachicum effectum atque ſucceſſum involvunt: nonnunquam *incongrui gradus* motus *periſtaltici* varias ventriculi & inteſtinorum afflictiones cauſantur, quæ cum remediis ſic dictis *ſtomachicis* tractantur, ſed qualia remedia, quia *genuinam* cauſam *non* attingunt, etiam *ſiniſtre* operantur, dum illorum modus operandi, non reſpon-

ſpondet diſpoſitioni *cauſæ* præſentis: unde quandoque *antiſpasmodica*, *temperantia*, *lenientia* & mitia atque *ſelecta ſedativa ſtomachicum* effectum poſt ſe relinquunt: *communia* vero ſtomachica ſunt *reſolventia amara*, quæ *mucidam* impuritatem colliquant & abſtergunt, ut eo facilius ab eadem ventriculus & inteſtina *liberari* & periſtalſis in *ordine* & *gradu* convenienti continuari queat: *alio* modo operantur ſtomachica, quæ *functionem* in & cum *ventriculo* præſtandam promovent, hinc nonnunquam *acida temperata*, aut ſpiritus *ardentes ſtomachica* facultate prædita ſunt, quoniam *fermentativum* motum in cibis aſſumptis adjuvant: denique *alia ſtomachica* operantur, dum *neceſſarium motum* in ventriculo & inteſtinis *allevant*, quæ ſunt *propriè* ſic dicta ſtomachica, roborantia, ut aromatica, ſive exotica, ſive noſtratia, qualia operantur in *ſenſationem* in ventriculo præſentem: *ratio* vero *prima* cur hæc ſubjecta ventriculo & inteſtinis grata exiſtant, *æque minus* reddi poteſt, ac ratio *illa* latet, cur *unus homo* ſaporem *amarum*, alius *dulcem*, nonnullus *acidum* magis appetat: inde etiam eſt, cur quædam ſubjecta ob *idioſyncraſiam* & *perſonalem* ſive *individualem* ſenſibilitatem *diſcretam* ſtomachica *averſentur* & perferre nequeant, quæ tamen *in aliis* ſubjectis *ſtomachicam* illam virtutem exequuntur, neque negandum eſt, quod *aromatica* & quæcunque illis *ſimilia* ſunt, ob principia ſua *ſulphureo-ſalina*, vel ingeſta alimenta, vel contentam ſaburram reſolvant & ideo *repurgationem* ventriculi adjuvent: ſiquidem hæc aromatica *acria* & *amara*, *bilis* generationem promovent, quæ bilis *digeſtioni*, conſuetæ *evacuationi* alvinæ, *abſterſioni* primarum regionum non exiguam *utilitatem* affert, unde *variis* modis roboratio ventriculi & inteſtinorum præcedit; ſiquidem vel ſola aliquando *congrui* ejusmodi remediii oblatio *eousque* afficit, excitat & *reficit naturam*, quo motus *neceſ-*

ſarios in ventriculo & inteſtinis *amiſſos* iterum reſuſcitet *repetatque*: ſicut in *moralibus* ſatis ſæpe animus *creſcit*, ob nudam *grati* & utilis objecti oblationem, de quo mox anima adeo gaudet, quoniam cum eodem in futurum *utiles* effectus producere poteſt: denique etiam *ſtomachicam* virtutem habent *tonica*, mitiora adſtringentia, quæ in ventriculo *laxiori* & debiliori ita *naturam* afficiunt, quo hæc in eodem *congruos* motus exerceat *renovetque*: qualis modus *adſtringentium* operandi, *alibi* fuſius explicatus eſt, ut illius *hoc loco* & ordine reminiſci haud debeamus: neque oblivioni tradere volumus, quomodo nonnunquam remedia *diluentia*, *lenientia*, *mucilaginoſa*, *temperantia* & *abſorbentia* ſtomachicam virtutem habeant, quando videlicet *ſaburra* ventriculi nimis *acida* & *bilioſa* variis ventriculi calamitatibus anſam præbet, ut pro illarum emendatione & *mitigatione* aliquando *ſtomachica* proficua eſſe reputentur; hinc *ſtomachicorum* modus operandi *variat* ſecundum *diverſam* conſtitutionem *cauſarum*, quotquot remediorum ſic dictorum ſtomachicorum uſum medicum vulgo requirunt: *Carminativa* vero quod concernit, tunc ſciendum, quod communiter *flatibus* opponantur, ne *vexas* ſuas exerceant, ſiquidem *quædam* Carminativa operantur, ne flatus *generentur*, aliqua, quo flatus *diſſipentur* & excutiantur: de *flatuum geneſi* notandum, quod flatus *ſemper* & ex *omni* concoctione oriri poſſint imo ſoleant, ſiquidem *tranſpiratio* humidarum & ſubtilium ſulphurearum ſubſtantiarum *nunquam* & cum nullo remedio *adeo* ligari, coerceri & præcipitari poteſt, ne *ulli* plane flatus generentur, id vero *impediri* poteſt, ne partim flatus *nimium accumulentur*, neve partim *moleſtias* inferant; accumulantur vero, ſi excretio *alvina inſufficienter* aut *ſegniter* ſuccedit, aut ſi plane inteſtina craſſa *ſtricta* & *ſicca* ſunt, hinc *carminativum* effectum habent auxilia, quæ *excreti-*

onem

onem alvi facilitant atque *promovent*, quo non modo flatus *deorſum* ſucceſſive duci, ſed & ſucceſſive *exprimi* queant; *alio* modo carminativum effectum habent *lenientia*, *lubricantia*, inteſtina *demulcentia* & imprimis illa, quæ *ſicca* & ſtricta ſunt, emollientia & *relaxantia*: hinc *clyſmata* probatum, ingenuum & *præſentaneum* uſum & effectum Carminativum habent: perinde etiam *tali* effectu prædita ſunt remedia *lenientia* interna & *antiſpaſmodica*, quin *temperantia* & *nitrata*, quæ immoderatas *ſpaſmodicas* commotiones corrigunt, quales non modo præſentes flatus *retinent*, ſed & ad *ſuperiores* regiones *conſtringunt* & reprimunt, ut eo majora *incommoda* inferant: præterea ad flatuum *augmenta* & *incommoda* contribuunt, amiſſiones & *remiſſiones* convenientis *periſtalſeos*, hinc *Carminativum* uſum & effectum habent, remedia quæ *tonum* in *ventriculo* & *inteſtinis* conſervant & revocant, qualia ſunt *prædicta ſtomachica* aromatica, amara & tonica: & quoniam *impuritates* mucidæ aceſcentes & bilioſæ in toto tractu primarum regionum varia *incommoda* inferunt & ad perturbandam *congruam periſtalſin* contribuunt, ita *abſtergentia*, *incidentia*, *abſorbentia*, *amara reſolventia*, *colliquantia*, *humectantia* & *laxantia* Carminativam efficaciam in variis caſibus & occaſionibus obſignant: quæcunque etiam alia adminicula *digeſtionem* promovent, ne languidè, neve impetuoſe procedat, illa præoccupant, ne copioſæ *exhalationes flatulentæ* contingant: quare auxilia *concoctionem facilitantia*, Carminativa etiam facultate inſtructa ſunt: ex quibus facile liquet, quomodo partim *Carminativa* remedia *diverſum* modum operandi habeant, prout circumſtantiæ diſcrepant, partim quomodo *Carminativa* medicamenta cum *ſtomachicis* multam *convenientiam* habeant: nimis *plebejus* vero nobis ille videtur conceptus, quo Carminativa quædam *ſupponuntur*, ac flatus tali

mo-

modo diſplodant & *diſcutiant*, velut pulvis pyrius è bombarda plumbeos globulos projicit,

§. XII.

Mentionem etiam hoc ordine injiciemus de talibus *Alterantibus*, quæ *Malignam* aliquam materiam *corrigunt* & coërcent, ne tam *ſubito* pernicioſum aut *lethiferum* ſuum effectum exſerant, qualia vulgo ANTIDOTA vocantur; quo vero hic modus operandi manifeſtior ſit, neceſſe erit, quo antea *indolem malignæ* materiæ brevibus deſcribamus: non quidem in *poteſtate* vel *phyſici* vel *medici* eſt, quo veram & *propriam indolem* & *eſſentiam* materiæ *malignæ* in quolibet affectu denominet & ex vero atque ſolido fundamento deſcribat: illud quidem *verum* eſſe poteſt, quod materia illa vel *ſalinæ* vel *ſulphureæ* indolis ſit, cujus vero *eſſentiæ* ſit in *variolis*, *morbillis*, *petechiis*, *peſte*, *febribus epidemicis*, *purpura*, adeo *exquiſite* determinari non poteſt, an videlicet *ſulphureæ*, an *ſalinæ* eſſentiæ exiſtat: neque etiam ulla *certa*, *evidens* atque *ſolida* demonſtratio ſuppetit, quando circa indagationem & denominationem *principalis* qualitatis materiæ *malignæ*, *corroſivitas* illius accuſatur, cum ex principiis *phyſico-chymicis* abunde conſtet, quomodo materiæ *ſalinæ* in ſummam *volatilitatem* redactæ, *corroſivitatem* ſuam amittant: interim *fixiora* quidem ſalia perinde adeo *impelli* poſſunt, quo in *translatione* ſua non *craſſam* conſiſtentiam habeant, ſed *nebulæ* inſtar tranſpirent & poſthac *intra pulmones* inſpirata *corroſivitatem* ſuam exerceant, ſed de *talibus* ſalinis ſpiritibus notandum, quod adhuc *fixi* ſint, & utplurimum *viſibiles*, qui etiam per inſpirationem intra pulmones excipiuntur: materiæ malignæ viciſſim ſunt ſumme volatiles, quæ non modo per *reſpirationem* excipiuntur, ſedquæ *ob tenuitatem* ſuã *poros* cutis ingrediuntur & per *hanc viam* ſeſe *intra* corpus inſinuant: neque æque *neceſſe* eſt, quo cum *præſuppoſita* ſua corroſivitate *malignitatem* ſuam teſten-

tur,

tur, quaſi *propterea* genus *nervoſum ſtimulet*, aliàs *ſpaſmi* atq; *convulſiones eſſentiale* & *perpetuum* ſignum affectuum *malignorum* eſſent, (quia materiæ *malignæ eſſentialis* qualitas illa ſuppoſita *corroſivitas* eſſet,) id quod tamen *experientiæ* medicæ abſolute *repugnat*: hinc longe *alia* indaganda & agnoſcenda erit materiæ *malignæ conſtitutio*; etenim nil adeo *eximie* refert noſſe, an ſit *ſulphureæ* an *ſalinæ* eſſentiæ: *illud* magis ex *variis* luculentis *demonſtrationibus* inclareſcit, quod ſit materia ſumme *ſubtilis* & volatilis, præterea etiam ſumme *mobilis*, quod ſubtiliſſime, *intimè* & celerrime *mixtionem* animalem *penetret*, adeoque *putridam* corruptionem *ſubito* cauſetur, quod hanc *noxam* eo *citius* exſerat, quo magis *libere* humoribus interfluctuat, quo magis ad *inteſtinam* commotionem contribuit, quo intenſius *impellitur*, quo *ſubtilior* atque *floridior* eſt ipſe *ſanguis* & quo *majori* copia in aliquo individuo hæret, ſecundum hos ſuccinctos fundamentales tamen reſpectus, jam perpendendus erit *ille modus*, quo remedia quædam operantur, quando malignitati materiæ morbificæ reſiſtunt: ubi non ſermo eſt de remediis hanc materiam *evacuantibus*, ſed *alterantibus*, præparantibus & quantiſper corrigentibus: ſunt itaque *quædam* remedia quæ materiæ malignæ *ſubtilitatem* & mobilitatem in tantum corrigunt, dum illam materiam *involvunt* in *mucilaginoſum* vehiculum recipiunt & hac ipſa conſiſtentia *viſcidiori* coercent, ne tam *cito inteſtinæ* commotioni illa obtemperet, neve in priſtina ſua *ſubtilitate mixtas* ſubſtantias ſive *fluidarum*, ſive *ſolidarum* partium *ſubito* ingrediatur, *penetret* atque *diſſolvat*: ob id *malignitatem* materiæ morbificæ *alterant abſorbentia*, *mucilaginoſa* dilutiora & interdum temperata *gelatinoſa*: porro *ejusdem* utilitatis ſunt remedia, quæ *nimis floridam*, *fluidam* & *tenuem* ſanguinis conſiſtentiam quantiſper alterant, ne partim ſanguis *ſubtilior* impulſum & motum materiæ *malignæ* foveat, *augeat* & ſuſtentet, neve *ingreſſui* materiæ *malignæ* magis *pateat*, ſed ob *ſpiſſiuſculam*,

temperatam tamen ſuam conſiſtentiam huic *ſubitaneo* acceſſui, *inſultui* & ingreſſui materiæ malignæ reſiſtat, quare *acidulata* remedia optime materiæ *malignæ* repugnant, dum maſſam ſanguineam in tantum *incraſſant*, haud vero talia remedia tantam utilitatem afferre poſſent, ſi materia *maligna* propter *corroſivitatem* quandam noceret, dum *acida* remedia hanc *cauſticitatem augerent*: quod vero illa *ſpecifica* remedia attinet, quæ certis & *ſpecialibus malignis* & virulentis materiis reſiſtere dicuntur, tunc ex parte de *veritate ſucceſſus* in talium remediorum diverſorum uſu admodum dubitamus & judicamus, quod *plurima* talium medicamentorum *experientiæ non* reſpondeant, adeoque ulteriori confirmatione, *approbatione* & uſu indigeant, ex parte vero etiam non negamus, quod *ſpeciali* ratione atque modo, quædam remedia ſibi invicem *contrariari* poſſent, interim *modus fiendi* adhuc *phyſicos* & *medicos* valde *latet*, ut eapropter tamen medici *melius* ſibi conſulerent, ſi de *vera* talium remediorum *efficacia plus* ſolliciti eſſent, quam de *curioſa* & intricata illa indagatione, *quomodo* illa remedia operentur: nos brevibus ſignificamus, quod in rebus *abſolute abſtruſis* medici theoretici rectius *inſcitiam* ſuam confiteantur, quam ut cum *figmentis*, dubiis *ſpeculationibus*, *contradictoriis* opinionibus & ridiculis *imaginationibus* animum ſuum torqueant, inſuperque utiliora negotia negligant & contemnant.

§. XIII.

Reminiſcimur etiam quod vulgo in *Materia Medica* & *Therapia* medicamenta ad *languidam venerem ſtimulandam* & *nimiam extinguendam* aut compeſcendam allegentur de quorum modo operandi impræſentiarum aliqua dicturi: agitur vero hoc loco de *concupiſcentia* illa *carnali* ſive affectu & motu *pathetico*, quo ſubjecta cum *eximia libidine* congreſſum *venereum* appetunt & deſiderant, aut viceverſa, nullum ſingularem *pruritum* & *ſtimulum* ad ta-

lem actum experiuntur: Sermo itaque eſt de APHRODISIACIS; dum vero *appetitus venereus animæ* operatio eſt, hinc in præſenti conſideratione, *duplex* hæſitatio & *dubitatio* occurrit, quæ brevibus attingenda eſt: primo an *remedia* ſive *materiæ* in *animam* operari, eidemque certas *commotiones extorquere* poſſint; deinde quod omnino medicamenta ſecundum *diverſam* ſuam activitatem & efficaciam *phyſicam* in *corpus* varias tales *commotiones* in *cerebro* efficiant, quæ *poſthac animæ* operationes dici ſolent! quoad *primam* animadverſionem, *verum* quidem eſt, quod *medicamenta commercium* habeant cum *anima*, ſed *falſum* eſt, quod commercium hoc per *contactum phyſicum* remedii & animæ ſuccedat; *medicamentum* quidem contingit *corpus* & *anima* per *motus activa* eſt in *corpus*, unde anima *percipit*, *quod* & *quomodo medicamentum corpus* afficiat; hac ratione *anima* cum *medicamento* commercium habet: proinde medicamenta non *phyſicè animam neceſſitant*, quo diverſas *morales* operationes adminiſtret: interim *anima* humana utplurimum cum ſubjectis *corporeis* conſortium habet; hæc vario modo *æſtimat* & tractat: quare objecta *materialia movent*, afficiunt & alliciunt *Senſus* adeoque ipſam *animam*, quæ *ſentit*: hæc *diverſa* objecta *diverſimode æſtimat* & ſecundum hanc diverſam æſtimationem, *diverſimode operatur*: *objecta alliciunt animam*: & licet interdum *quieta* & tranquilla anima ad hunc vel alium *affectum* non pervenerit, tamen *irritamenta*, cauſæ externæ & objecta *materialia* animam afficiunt, offendunt, *ſeducunt* & ad varias commotiones alliciunt: & hæc quidem *indies* contingunt: interim objecta extranea non *efficiunt* talem operationem mentalem, ſed anima *ſecundum* horum objectorum *æſtimationem* & dijudicationem *illas* operationes *deinde* inſtruit & *exercet*; unde *unum idemque* objectum aliquando animæ *gratum*, nonnunquam *adverſum* eſt, uti dicunt: nachdem es einem zu gelegener oder

ungelegener Zeit kömmt: quod itaque non *objecto*, ſed *animæ* adſcribendum eſt: quod *alteram* dubitationem attinet, tunc in ſubjectorum *materialium capacitate* non eſt, aliquid *immateriale*, uti cogitationes & *patheticæ* commotiones ſunt, *efficere* vel producere; neque ulla ratione demonſtrari poteſt, quod *materiæ animæ communicent* æſtimationem & dijudicationem, ſiquidem hæ operationes non ſunt *in materia*, ſed *in anima*, imo cum eædem *abſente* etiam *materia* exerceri poſſint &c. è quibus animadverſionibus nunc concludimus, quod *anima* in tali *appetitu venereo* nunc *activior*, nunc *moderatior* ſit, prout *occaſiones* in corpore ſuo variant: Gelegenheit macht Diebe: quod itaque *Aphrodiſiaca* concernit, tunc *quædam* illorum operantur, per *augmentum ſpermatis* aut *liquoris genitalis*, qualem humorem alias *natura* ad *actum venereum* uſurpat: & cũ anima in ſuo corpore æque *ſentiat*, ita propter *abundantiam* hujus humoris *libidinoſis* cogitationibus facilius indulget: eadem ratione quoſdam homines allicit *viſus* & conſpectus *libidinoſorũ* ſubjectorum: hoc ordine *alias ſenſus* afficit & commovet animam, videlicet *perceptio copiæ ſpermatis* in genitalibus: uti æque nonnullos *auditus* de rebus *libidinoſis* irritat &c. neque tantum *abundantia* ſpermatici liquoris ſatisfacit, ſed ad *venerem* exſtimulandam contribuunt concurrentes *commotiones* humorum, ſive ita dicti *orgasmi*, qui *naturam* ad *evacuationes* ſuſcipiendas eo magis alliciunt: ſi itaque jam *ſperma* non modo *majori* copia augetur, ſed & *ſtimuli evacuatorii* concurſant, quidni eo magis in *ideis* & ſpeculationibus *laſcivis* & connexis aliis operationibus eo *magis activa* fuerit anima: unde *vinum* & *aromata* vulgo ex hoc fonte *Aphrodiſiacis* annumerari debent; quo adhuc *alia* pertinent, quæ cum *ſulphureo* ſuo principio *orgaſticas* commotiones in *maſſa ſanguinea* excitant, ut *moſchus*, *ambra* &c. quin teſtimonia ſatis numeroſa conſtant, quomodo homines quidam poſt inſolitum uſum *potus pinguioris* &

ſatu-

ſaturatioris inſomnia *laſciva* & *pollutiones nocturnas* experti fuerint: denique etiam *alio modo* operantur *Aphrodiſiaca*, quando vias urinarias *ſtimulant*; dum enim *urinæ* & *ſpermatis* commotio, urinariæ & ſpermaticæ viæ, urinæ & ſpermatis ſecretio in ſatis arcta *communione* conſiſtunt, hinc *diuretica* remedia *venerem* provocant, *genitalia* alliciunt & *ſtimulant*, cum quorum motu deinde *cogitatio libidinoſa* concurſat: & hic eſt vel conſuetus vel *naturalis* proceſſus atque modus, quo *Aphrodiſiaca* medicamenta operantur.

§. XIV.

Alterum eſt ut brevibus commonſtremus, quomodo remedia quædam *venerem extinguunt* aut temperant: qualia de ANTAPHRODISIACIS prædicantur: hic modus è præcedentibus demonſtrationibus fluit: eſt vero nobis hoc loco præcipuus ſermo de *pharmaceutica* veneris *excitatione* & *moderatione*; ſicuti paſſim alia *moralia* adminicula occurrunt, pro venere *augenda* & *minuenda* idonea, de quibus tamen hoc ordine non loquimur: & ſicut vita *luxurioſa* lauta & *ſecura* ad varias *pravas* cupiditates allicit, ita viciſſim *cura*, *calamitas*, *ærumna*, *dolor*, anxietas, ſollicitudo occupatio in rebus *ſeriis* &c. hoc frenum *cupiditatum* valde continent & coarctant: aſt jam de illis mediis dicturi, quæ è penu *materiæ medicæ* & apparatu *pharmaciæ* fluunt: *privative minuunt* appetitum venereum alimenta *minus pinguia* & nutrientia, ut adeo minor ſpermatis copia generetur: huc quadrat diæta *parca* & debilis, *vilis* & ſimplex; *abſtinentia* à *ſpirituoſis*, vinoſis, aromaticis: etenim ſi hujus liquoris *parum* adeſt in corpore individui, tunc communiter, illius profuſioni *minus intenta* eſt *natura*, & per connexionem appetitus venereus *languidior* & moderatior evadit: imo ipſe potus *ſimplicioris aquæ* non modo nihil nutrimenti affert, ſed & reliquum nutrimentum admodum *extenuat*, diluit & *hebetat*, ut eapropter ſpermatis *ſecretio* imminuatur & *appetitus* venereus *mitigetur*: *alius* modus

temperandi & *refrenandi* affectum venereum, eſt, quando ſanguinis *intenſior* motus *mitigatur*, ne *evacuatoria* molimina concurrant, hinc *nitrata*, *acidulata* & mitiora *incraſſantia* libidini venereæ reſiſtunt, dum humores quantiſper *coagulant*, ne tam *cito* & *largiter* ſecernantur, neve *fortius* commoveantur & ad validiorem & *promptiorem* excretionem præparentur: quando itaque naturæ *media* talia *præſcinduntur* & infringuntur, quæ ad *venereum* exercitium alias adhibentur, tunc ipſe *appetitus* etiam *mitigatur*: habent itaque *nitrata* remedia, *modeſtius* uſurpata, talem efficaciam *orgaſticas* commotiones & ipſum etiam *ſpermatis motum* temperantem: ſicuti *D. D. Præſes* ante aliquod tempus juveni multis & moleſtis *pollutionibus nocturnis* vexato & fatigato, imo valde *enervato*, poſteaquam à diverſis artificibus varia remedia *fruſtra* probata fuerunt, cum remediis *nitratis* adeo efficaciter ſuccurrit, ut omnis hæc moleſtia penitus ceſſaverit: fuit vero hic juvenis cum *plethora* moleſta afflictus, è diæta *viliori* in *pinguiorem* translatus, inſuperque variis *plethoræ commotionibus* obnoxius: *ſimilem* curam nimiæ laſciviæ per uſum *nitri* allegat *Timæus Lib. 3. caſu 52.* quo etiam *Wedelius in amœnit. mat. med.* reſpicit, ubi de *antaphrodiſiacis* agit: cavendum vero præterea eſt, ne *nimia* quantitate *nitrum* offeratur, alias urinam *ſtimulat* & ſimul *vias ſpermaticas* allicit, adeoque venereas commotiones potius incitat, quam mitigat; alia ſubjecta venereum appetitum *enervant* per *refrigerantem* ſic dictum effectum, de quorum refrigerantium modo operandi in præcedentibus actum fuit: refrigerantia enim *incraſſant* humores, *reprimunt* motus orgaſticos, *conſtrictionem* partium adjuvant, quo minus commode & copioſe in has humores *ingredi* queant, imo denique partium *robur* ordinarium *enervant*, unde *actuale* frigus *genitalibus* locis admiſſum, horum *laxitatem* conciliat, ut ita per *refrigerantia* remedia plurima illa adminicula & requiſita, ad *venereum* actum pertinentia,

hebe-

hebetentur, hinc per *hunc nexum* ipſe *appetitus* venereus *imminuitur*: idem valet de *adſtringentibus*, quæ eodem modo ac *refrigerantia* in hoc caſu operantur: de quibus vero hoc loco haud acturi, an *ſecurè* ac *quomodo* ad extinguendam venerem conveniant: quæcunque *vias* urinarias *leniunt*, ut nullus ſingularis *ſtimulus* easdem offendat, illa adminicula venerem *debilitant*; hujus indolis ſunt *mucilaginoſa*, *emollientia*, ſimplicia *lenientia*, *relaxantia*, elubricantia: quapropter ſemina vulgo dicta *refrigerantia* veneri *reſiſtere* dicuntur, dum ſangvinis maſſam *inſpiſſant*, motus *orgaſticos* coërcent, *vias* urinarias deliniunt aliisque ſimilibus modis *œſtrum* venereum cohibent: Denique adhuc reminiſcimur *talium* ſubjectorum, quibus virtus venerem *excitans* & *mitigans* vulgo adſcribitur, ex hiſce *plurima* ſunt vana & *ſterilia*, quorum modus operandi in hoc negotio magis *imaginarius* & *ſpeculativus*, quam certus & *rationalis* eſt: quid quæſo *paſſeris cerebrum*, *aſini*, *tauri*, *cervi*, *apri*, *equi*, *hirci*, *galli gallinacei* &c. *teſticuli* venerem ſtimulabunt, niſi in communi obſervatione hæc animalia partim *laſciva*, partim *fœcunda* deprehendantur, unde perperam concluditur, quod *eadem* animalia mortua, vel *genitalia* illorum *laſciviam* concilient: ſed quis non facile agnoſcit, quam vana & *lepida* hæc ſit imaginatio & applicatio, primo *brutorum* ad *homines*, deinde brutorum *mortuorum* ad homines *vivos*? imo quis non in hac theoria ſterile illud *commentum* de *ſpiritibus* accuſatum & applicatum advertit? & ſimilia figmenta, è ſpeculationibus Helmontianis hauſta, occurrunt etiam in catalogo remediorum venerem *enervantium*, ubi modus operandi cum vagabundis & lepidis illis ſpiritibus explicatur: quod de *Camphora* fertur, quaſi venerem *debilitet*, id hactenus nondum ex experientia confirmatum, ſed per communem & *obſoletam* aliquam traditionem divulgatum fuit; & cum juxta famoſum verſiculum atque rhythmum Camphoræ vis *caſtrandi* adſcribatur, ita caſtratio illa magis valet

let de *olfactu*, quam de *appetitu venereo* & negotio generationis, neque æque ipſi authores, qui Camphoræ talem antaphrodiſiacam qualitatem adſcribunt, interſe conveniunt, qualem virtutem phyſicam Camphoræ imputare debeant, per quam illam antaphrodiſiacam colorare poſſint; unde nonnulli eidem calidam, alii frigidam facultatem adſignant in tota vero hac laude admodum dubii & incerti exiſtunt; *conf. Caſp. Rejes Camp. Elyſ. juc. qu.* 44. proinde vero *inſtinctus* venereus mitigatur per *miſſiones ſanguinis*, quo ſperma non *copioſius* ſecernatur, commotiones *evacuationem* urgentes non contingant & *vires* in reliquo moderamine conſerventur: denique *anodyna* & narcotica venereum appetitum *enervant*, dum *animum* & *corpus* languidum reddunt, quo minus ulla *inclinatio* aut præparatio ad *venereum* actum occupet: quales diverſi modi circa antaphrodiſiacorum remediorum operationem annotandi ſunt, quippe qui cum oeconomia vitali apprime conveniunt: conf. pluribus de ſubjectis venerem extinguentibus *Caſpar Rejes Camp. Elyſ.* l. c.

§. XV.

Progredimur nunc ad NERVINORUM medicamentorum modum operandi exponendum, quæ ſicut *famoſum* remediorum genus conſtituunt, ita in hac Theoria eo magis *cautela* opus eſt, ne in *triviales* errores, ſpeculationes & imaginationes incidamus: ſunt itaque *Nervina* remedia proprie *nervis* dicata, illorumque *uſui* adjuvando & promovendo non alia, quam *roborantia* & confortantia remedia, quæ motus *languentes*, depreſſos, *debiles* & deficientes erigunt, revocant, reſtituunt & *roborant*: horum virtus ita comparata eſt, ut *ſine vi* moleſtia, incommodo & *dolore* operari debeant, ſicut viciſſim, quædam remedia in penu medicæ materiæ occurrunt, quæ cum aliquo *incommodo* motus revocant, ut ſunt *ſtimulantia*, irritantia, *cauſtica*, *rubefacientia*, *phœnigmi*, *ſynapiſmi*, *veſicatoria*,

ver-

urticationes, dolorificæ frictiones. *Nervina* contra operantur aut ad minimum operari debent *tali* effectu, qui *nervis* competit & *gratus* atque acceptus eſt: non poſſumus vero hoc loco *ridiculas* illas theorias de *ſpiritibus* reticere, quæ communiter ad *Nervinorum* modum operandi trahuntur: præſupponitur enim, quod ad *motus* in corpore humano adminiſtrandos requirantur *ſpiritus* ſive ſubtilis *ætherea* fluida materia in *nervis*, mediante qua *primus impulſus* intra reliquas partes communicari fertur: ſed cum hoc aſſertum ſit πρῶτον ψεῦδος, ita reliquæ deductiones *falſæ* & *comicæ* ſunt: neque tempus & occaſio permittit, quo *vanitates* hujus aſſerti pluribus notemus; quoniam vero de hac opinione *D. D. Præſes* in ſua *Phyſiologia* fuſius egit, ita impræſentiarum haud latius nos intra illam immiſcemus: interea *falsò* traditur, quod *Nervinorum* modus operandi in eo conſiſtat, quod vel *ſpiritus augeant*, vel *reficiant*, commoveant, *impellant*, excitent, *exhilarent*, illuſtrent, *ſerenent*, *rarefaciant* &c. ſed cum *non entium nulla ſint prædicata*, ita *tota* talis theoria *fabulam* olet & imaginaria eſt, quia ex *falſo fundamento* fluit: quænam quæſo *logica* eſt connexio: quia *concipere* non poſſum *quomodo* anima moveat corpus, *ergo* anima *non movet* corpus; *ergo* requiritur *intermedium* ſubjectum *corporeum*: & quia in macrocoſmo *aër* & *æther* magnam *efficaciam* habet, *ergo* in microcoſmo illud *medium* corporeum aëreæ & *ethereæ* indolis eſſe debet: quis non facile percipit & concipit, quod hæc concluſio à baculo ad angulum directa & crinibus attracta ſit: mittimus itaque has *obſcuras* conſiderationes, easdemque *ſuis fatis* relinquimus: nos *ſimpliciori* ratione demonſtrabimus, *quomodo Nervina* operentur: iterum vero *declinamus* illam ſententiam, quaſi *per Nervina* ille *motus* ſubminiſtretur, qui *neceſſarius*, aut quaſi *in nervinis* ille *motus* lateat, qui deinde partibus *communicatur*; quæ ſententia iterum ex *falſa* illa opinione fluit,

Ee quaſi

quaſi *vires* ſint aliquid *corporeum*; quo *minus* vero *motus* ſubjectum *corporeum* eſt, eo minus *vires* aliquod *materiale* exiſtunt: neque iterum *logica* eſt concluſio, quia vires per *alimenta* reficiuntur, ergo vires *ſunt alimenta* aut *ſunt in alimentis*: multum enim imo ſemper vires *nituntur perſuaſionibus*, *æſtimationibus*, *conſuetudinibus* &c. & quem latet quam ſæpe & quam *efficaciter* vires per *moralia* imminuantur & reficiantur: prout itaque ſubjecta quædam alicui homini ſunt *accepta*, utilia, neceſſaria & conſueta, ita vires non *ab illis* ſubjectis communicantur, ſed *propter* illorum ſubjectorum oblationem exercentur: omnis *defectus* & jactura reddit *animum* & *corpus languidum*, ea propter vero *illa penuria* animo non *ſubtrahit vires*, ſed ipſe *animus amittit* vires & deſerit vigorem *propter* jacturam perpeſſam, iterumque *recipit* vires, easdem exercet, ſi defectus *compenſatur*: ita enim *parum* vires creſcunt, ſi *animus* eſt *anxius*, ſollicitus, triſtis &c. quamvis homo *pleno* victu utatur: & viciſſim *præſente* animo *tranquillo* vires utplurimum *vegetæ* ſunt, licet victus *ſimplex*, *vilis* & mediocris ſit, hinc homines in *ſimplici* vita conſtituti, quoad *vires* eminenter *ſuperant* illos, qui in lauta & *plena* diæta verſantur & ſecundum *hypotheſin* multas vires recuperare & poſſidere deberent: quod documentum ſane *ſimpliciſſimum* & pervulgare huic *ſubtili philoſophiæ* de viribus *materialibus* valde contrarium eſt; neque hanc ſententiam in præſenti circumſtantia ſalvare poteſt illud aſylum, quaſi homines, in *ſimpliciori* diæta conſtituti, propter *conſuetudinem* ex eadem *majus* robur acquirant, quam alii *è delicatiori* diæta: cum tamen per *neceſſitatem logicam* & *phyſicam* ſequi deberet, quæcunque ſubjecta, *juxta hypotheſin*, *plures* continent vires illa *neceſſario* magis *roborare* debent, atqui diæta *pinguis*, *lauta*, aromatica, vinoſa &c. præ victu *ruſtico plures* continet vires, ergo homines *delicatiores*, præ *ruſtica* & opificiaria gente deberent

rent

rent eſſe *robuſtiores* & majoribus viribus præditi: concluſio eſt *falſa*: ergo error hærebit, in una *præmiſſarum*; altera propoſitio *negari* non poteſt: ergo *fundamentum*, quo hæc concluſio *nititur*, *falſum* eſt, videlicet, quod *vires* ſint *materiales*, aut quod *materialiter in ſubjectis* vinoſis, aromaticis hæreant.

§. XVI.

Sed ne in alienam meſſem falcem diutius immittamus, brevibus meliorem & *evidentiorem* modum commendabimus, quo *Nervina* remedia operantur: ita enim cum *anima* humana res ſunt comparatæ, ut, dum inter multa *objecta corporea* verſatur, illa quædam horum *æſtimet*, nonnulla *averſetur*, alia vero *indifferenter* relinquat & tractet; de illis quæ *æſtimat* omnino *gaudet*, illorum præſentiam & poſſeſſionem deſiderat, cum iisdem lubenter converſatur, illa arripit & in eadem *motus* ſuos facile transfert: *quamprimum* ipſi *talia* objecta offeruntur, eo tempore illa, quia *grata* & accepta ſunt *aſſumit*: ſicut vero anima humana circa *multiplicia* objecta verſatur, quæ *extra* ſuum corpus ſunt, è quibus quædam *utilia* exiſtunt, ita *varia* objecta *intra* corpus perveniunt, quorum quædam utilia alia inutilia ſunt: propterea etiam *intrinſecus ſenſatio* adeſt, quo illa varia objecta *percipi*, deinde *dijudicari* & denique *rite* tractari queant, ut *noxia* tempeſtivè ſubjugentur & *eliminentur*, *utilia* vero *conſerventur* & rite applicentur: quando itaque motus *vitales* & reliqui ad vitam pertinentes, tanquam *effectus* animæ *languent* aut amittuntur, tunc remedia *animæ grata*, accepta, jucunda & utilia *tantum* valent, quo eadem anima *priſtinos* motus repetat, negotium & officium adminiſtrandum denuo *reaſſumat*, vires iterum *applicet* & ita *robur* denuo prodat & demonſtret: *falſa* vero eſſet argumentatio, qua quisquam huic demonſtrationi obloqui poſſet, quia *concipere* non poſſum, *unde* anima *vires* has recipiat, *quomodo* illas renovet, *ubi* eædem *latuerint* &c. ergo hæc demon-

ſtratio eſt falſa: quod idem eſſet ac ſi regereremus, quia non concipere poſſumus, *quomodo* anima *moveat*, quomodo *cogitet*, *unde* motus recipiat, quomodo iisdem *moderetur* &c. ergo anima *non movet*, *non cogitat* &c. talis argumentatio ſane *non logica* eſt, quando ab ignorantia *modi fiendi*, *ipſum modum eſſendi* & *exiſtendi* negare velimus; ubi certe *plurima* phænomena *contra ſenſus* & convictionem noſtram negare deberemus, quia plurimorum phænomenorum *modus fiendi* nos latet: deinde notare convenit, quod *ſenſatio* in corpore humano tam *externo* quam *interno*, ſecundum *diverſitatem* partium diſcrepet, prout itaque remedium quoddam *naturæ* ejusque *ſenſationi* in aliqua parte *magis* convenit, magis *acceptum* & gratum eſt, eapropter *in illa* parte motus *alacrius*, vegetius, promptius & efficacius adminiſtrantur: quid quod de reliquo etiam *Nervina* qualitate prædita ſunt *illa* ſubjecta, quæ *ſenſibus externis* jucundam & *amœna* ſunt, ſiquidem anima in hiſce ſenſibus valde *activa* eſt, quæ ſi in *hiſce* ſenſibus *reficitur*, tunc eadem *alacritatem* ſuam in *reliquum* corpus facilius transfert, hinc *ſuaveolentia guſtui* &c. accepta, *vires* allevant; quæcunque vero ſubjecta anima per ſpecialem rationem & idioſyncraſiam *averſatur*, illa in hoc *individuo* nervinam utilitatem *haud* afferunt, licet *in alio* individuo id præſtiterint: quare *quidam* homines à *ſuaveolentibus* reficiuntur, *alii* contra *turbantur* & offenduntur, in quo phænomeno fruſtra ad *obſcuras*, dubias & imaginarias *phyſicas* cauſas nonnulli confugiunt: cum tamen ratio evidens ſit, quod illud phænomenon *diverſitate æſtimationis* nitatur, quæ vero non niſi per *petitionem principii* deinde ad *diverſitatem texturæ* partium trahitur, qualis *nulla* ratione demonſtrari poteſt, ſed *cæco* tantum quodam auſu accuſatur: Præterea etiam *temperatus calor* nervis *amicus* eſt, quare ejusmodi modeſtæ calidæ *fomentationes Nervinam*

nam utilitatem habent, quippe qui *alius* modus eſt, quo *Nervina* quædam auxilia operantur: non minus *nervinum* effectum illa auxilia habent, quæ naturam in aliquo *arduo* negotio *ſublevant*, in quo varia *impedimenta* intercurrentia, vel actualem *ſubtilitatem* cauſantur, vel tantum efficiunt, quo *propter* difficile hoc opus eadem *atura* vires ſuas retineat & *ſimulet*: hinc adminicula, quæ tale negotium ſublevant, tantum viciſſim efficiunt, quo natura eò *lubentius* vires ſuas denuo applicet: quidquod aliquando *ſedativa* remedia *nervinum* effectum poſt ſe relinquunt, quando ob *nimios dolores* vires languent & *animus torpet*, quæcunque itaque tales dolores *leniunt* & demulcent, illa *tantum* adjuvant, quo animus iterum *creſcat* & vires revertantur: *alia nervina* operantur per modum *adſtrictionis*, quando videlicet ob *laxitatem* partium & *toni* amiſſionem *torpor* occupat; dum itaque adſtringentia ad *toni reditum* & conſtrictionem partium affectarum contribuunt, hinc *priſtinus* languor *evaneſcit*: ſingulæ hæ demonſtrationes, minime *coactæ* aut *ſuppoſitæ*, ſed ex ipſis *quotidianis* humanis actionibus fluentes & cum *moralibus* functionibus exquiſitè *convenientes* ſatis perſpicuè *nervinorum* modum operandi comprobant: ubi vero non ultra *poſſibilitatem* & *poteſtatem* theoriæ extendendæ & urgendæ ſunt, quando quisquam rationem deſiderare vellet, cur *hic* homo *dulcia*, aut hunc vel illum odorem, ſonum, colorem &c. *alius alium* deſideret, pro quo dubio ſolvendo & phænomeno decidendo lepida perquam eſſet reſponſio, quia hic vel ille homo *talem texturam* in organo habet, quæ huic odori, colori, ſapori, ſonitui *magis accommodata* eſt, in qua declaratione *nullum ſolidum* rationale fundamentum hæret.

§. XVII.

Brevibus nunc *Vulnerariorum* mentionem facere lubet, quæ vulgo in ſchola medica *Travmaticorum* nomen tenent, quorum modum operandi paucis perſpiciemus: di-

cuntur vero *Vulneraria* quæ vulnerum *conſolidationem* promovent & accelerant: ſermo hoc loco eſt de ſubſidiis & mediis *pharmacevticis*, *læſionum* reparationes & *coalitiones* adjuvantibus, quorum quædam interdum *interne*, aliqua *externe* adhibentur: minime tamen exiſtimandum eſt, quaſi hæc travmatica *tali* efficacia prædita ſint, ut *per ſe* læſiones conſolident, *contexant*, conjungant & confirment, *qualis* actus in *nullius* remedii poteſtate eſt, dum ex *ſolius naturæ* energia fluit, quo in *ordine* conſueto *naturali* læſiones continuitatis reparentur: minime enim adeo *confuſe* & perverſe partes *vivæ* conglutinantur, ſed requiritur *talis* actus, quo mediante non modo pars *congruè* conſtruatur, ſed & ad *futuros* uſus *vitales* iterum aptetur: hic actus procedit per modum alicujus *formationis*; & quemadmodum *aliàs* formatio, confirmatio & *nutritio* corporis non *phyſicis* & materiarum facultatibus nititur, ſed *ſolius naturæ* humanæ proxima operatio eſt, ita non *remedia* convenienter & *proportionate* partem læſam *conſtruunt*, ſed *natura* interdum *ſola* atque *ſpontè*, aliquando occaſione *remedii* oblati reparationem illam perficit; quod enim hanc *ſpontaneam* naturæ capacitatem attinet, tunc *perfrequens* eſt phænomenon, quod ad vulnerum reparationem interdum *nullo* remedio opus ſit; viciſſim vero conſtat, quomodo *languente* natura, *haud facile* læſio quædam emendetur, licet *magni nominis* remedia applicata fuerint; unde concludimus, quod læſionum *reparatio primario naturæ* debeatur; hæc tamen aliquando *oblata* medicamenta *eò applicat*, quo neceſſariam aliquam reparationem *citius* perficiat; aut remedia quædam adeo *ſenſum* naturæ afficiunt, quo *propter* hoc *incitamentum* conſolidationem *promptius* adminiſtret: *interna* quidem vulneraria non admodum *ſecura* & *probata* ſunt, unde illorum uſum non penitus fruſtra abhorret *Ronſſeus* & licet ejusmodi *internis* travmaticis vis ſanguinem *depuratoria* ineſſet, aut

licet

licet eadem remedia efficaciam *balſamicam* & putredinem præoccupantem haberent, tamen in hiſce *præparationibus* non fundata eſt *genuina* virtus balſamica; illa enim quæ *ſimpliciori* ſenſu *vulneraria* dicuntur, ſunt utplurimum *adſtringentia*, quæ *intrinſecus* oblata, quando *ſontica* vulnera in corpore adſunt, non admodum *tuta* ſunt, quoniam non modo *ſuſpectis* genericis *adſtrictionibus*, ſed & ſpecialioribus *ordinariarum* evacuationum *occluſionibus* & perturbationibus anſam præbent: quando vero *internorum* travmaticorum efficacia *intentioni* & *indicationi therapevticæ* reſpondet, tunc operandi modus perinde *eadem adſtrictione* nititur: etenim ſicut in *nimiis* Hæmorrhagiis *interna* oblata adſtringentia, in *illo loco* effectum ſuum exſerunt aut poſt ſe trahunt, *in quo effluxus* ille, aut profuſio ſanguinea adeſt, ut alibi clarius demonſtratum fuit & id quidem per *naturæ* ſingularem *directionem*, ita in vulnerationibus inflictis, *natura* ſtimulum *adſtrictorium* ad locum *affectum* applicat, circa vulnus partes ſucceſſivè efficacius *conſtringit* & dum non niſi cum effectu *conſtrictionis* conſolidationem perficere poteſt, hinc *propter* oblatum remediũ travmaticum illum conſtrictorium & connexum *conſolidatorium* effectum alacrius adminiſtrat: in negotio tamen adſtrictionis ſucceſſus non ita *exquiſitus* eſt, quin aliquando natura *deflectat* & in *aliis* etiam partibus adſtrictionem illam perficiat; æque ac in Hæmorrhoidum & Menſium *nimio* fluxu oblata *adſtringentia* non modo in *locis hæmorrhoidalibus* & *uterinis*, ſed & in *reliquo* abdomine aliqualem adſtrictorium effectum poſt ſe trahunt: *alio* modo operantur quædam vulneraria, quando *citra* adſtrictionem materiam *gelatinoſam* & *mucilaginoſam* naturæ in humorum maſſa ſubminiſtrant, cum qua *concretio*, conglutinatio & conſolidatio *citius* & facilius perfici poteſt, uti ſuperius de remediis ad *callum* generandum & *oſſium fracturas* aptis pluribus actum fuit: etenim ad vulnerum

con-

concretionem aliquo *glutine* gelatinoſo, mucilaginoſo lymphatico opus eſt, ſi itaq; in hoc inſolito & afflicto caſu *talia* ſubjecta naturæ ſubminiſtrantur, tunc eadem in vulnerum *reparatione* & combinatione *pronior* æque ac promptior eſt, quæ mediante *tonico* motu ſingulari *directorio* è reliqua maſſa humorum ad *affectum* locum hanc materiam *gelatinoſam copioſius* advehit & proximum *concretionis* actum expeditius exercet: quod vero *internus* travmaticorum uſus *latius* ſeſe extendat, teſtatur trivialis cura *phthiſeos*, in qua vulneraria talia *oretenus* exhibita, communiter ſuſpectas *adſtrictiones* in *pectore* cauſantur: qualis affectus partim illo fiendi modo nititur, quando ſanguis cum *adſtringentibus* ſubſtantiis permixtus ſub reliquo *communi circuitu* ad *pectus* pervenit, partim quando ob *generalem* hunc adſtrictorium ſtimulum natura conſtrictionis effectum ad *locum læſum* & afflictum *dirigit*: *Externa* travmatica quod attinet, tunc eadem non *alio* quam *adſtrictorio* effectu operantur, quæ dum *immediatè* locum affectum attingunt, eo *potentiorem* efficaciam habent, adeoque *læſarum* partium *conſtrictionem* eo magis adjuvant: interea vero *alia* adhuc vulneraria dantur, quæ conſolidationem adjuvant, de quibus nunc in ordine ſub *Balſamicorum* nomine acturi.

§. XVIII.

BALSAMICA itaque ſeqvuntur, quorum operandi modum exponere placet: neceſſe quidem erit, ut antea ſignificemus, *qualis* & *quotuplex* Balſamicorum *effectus* ſit, quo deinde illorum *modus operandi* clarius innoteſcat: dicuntur itaque proprie Balſamica *principaliori* ſenſu, quæ partes *immundas* & impuras *repurgant*, adeoque *putredinem* avertunt, deinde Balſamica *vulnerarium* & conſolidatorium effectum involvunt: *diſcrepat* itaque quadantenus Balſamicorum *uſus* & ſucceſſus, licet *modus* operandi *conveniat*: utplurimum *Balſamica* remedia de principiis *ſulphureis*, *oleoſis*, *reſinoſis* participant, quæ dum ad partem ali-

quam *impuram* perveniunt, adhærentem impuritatem diſſolvunt & *abſtergant. ſulphurea* ſua ſubſtantia ſubtilem commotionem *inteſtinam* in heterogeneas materias communicant, quo à partibus mundis *ſecedant*, adeoque in affecto loco recens, *vivum* & purum *fundamentum* efficiant, daß ſie einen friſchen Grund machen: in hoc effectu utplurimum *ſola* Balſamica ſibi ſufficiunt: illud tamen requiritur, quo à tergo *laudabiles* humores *affluant* & affectã partem *impleant*, aliàs ſi à tali loco *neceſſarius* affluxus humorum diſcedit & potius pars cum *irregulari toni* gradu conſtringitur, tunc fruſtra *ab extra* Balſamica applicantur, inde innotuit illa querela chirurgorum, man nehme die Artzeneyen wieder hinweg, wie man ſie habe darauf gelegt; der Theil oder Schaden, wäre ſchon erſtorben: exinde *tantum* iterum fluit, quod in effectu Balſamicorum *medico*, *natura* non penitus *otioſa* ſit, ſed ſub continuatione *neceſſariæ affuſionis* humorum id contribuat, quo pars iterum *vividam* indolem & faciem induat: etenim quando in *læſa* quadam parte ab *intra* humores *ſeroſo-lymphatici* affluunt, tunc *ab extra* applicata remedia *Balſamica* ſulphurea non modo colliquant & *reſolvunt*, ſed iisdem ſubtilem *fermentativam* commotionem communicant, è qua *intimior abſterſio* & repurgatio provenit, proinde hæc oleoſa & reſinoſa *poroſitates* læſarum partium in tantum *deliniunt*; ne *aëris* allapſus *contrariam* fermentativo-*putridam* commotionem excitare poſſit, quid quod *Balſamica* non raro *roborante* & *adſtringente* moderata qualitate prædita ſunt, ut ſub *ſufficientis* & convenientis *toni* præſentia *vigor vitalis* non modo ad meliorem *impuritatum abſterſionem*, ſed & ad *citiorem* læſionis *reparationem* contribuat: hac ratione & hoc modo *Balſamica* remedia *vulnerarium* effectum involvunt & promovent; & ob eandem rationem *ſelectiora adſtringentia* remedia *opportuno* tempore admodum commode & fructuoſe cum *Balſamicis* remediis *miſcentur*: neq;

Ff tamen

tamen *externe* tantũ *Balſamica* remedia hoc modo operantur, verùm etiam *interne* ſive proximius ſive ſerius ad *affectam* partem cum maſſa ſanguinea proveniant: unde ſub *continuato* Balſamicorum uſu *Maſſa* ſanguinea cum ejusmodi remedio *imprægnatur*, ſed ſucceſſive ad *impuram* partem pertingit, eandemque etiam ſucceſſivè *abſtergit* atque repurgat, teſtimonio *utilis* efficaciæ *Balſamicorum* in *Phthiſi*, *Hectica*, *Gonorrhoea virulenta* &c. quotquot proinde remedia ſive interne ſive externe ejusmodi *impuritates* è *lenta* corruptione prodeuntes, ſive in corruptionem tendentes *abſtergunt*, illa *medico chirurgico* ſenſu *Balſamica* vocari merentur: in *latiori* etiam ſignificatu illa *Balſamica* vocantur, quæ ſanguinem & corpus à *putredine* præſervant; qualia ſunt illa remedia quæ *noxias* materias tempeſtivè *evacuant* & *nocivam* illarum vim *infringunt*; *proprio* enim ſenſu *Balſamica* remedia *corruptioni* oppoſita ſunt, adeoque illas *heterogeneitates*, quæ *corruptionem* proximius invitare ſolent, abſtergunt atque *repurgant*: quo magis itaque ſub *concurſu* talium Balſamicorum *læſio* quædam *mundificata* eſt, eo promptius *natura* poſthac reparationem & *conſolidationem* ſuſcipit: neque denique *nervinam* illam efficaciam oblivioni tradimus, quæ in quibusdam *Balſamicis* ſubjectis conjuncta eſt, è qua partibus *læſis roboratio* neceſſaria accidit; inde contingit, ut ſi partes tales læſæ cum *ſufficienti tono* inſtructæ ſunt, non modo *mundificatio promptius* ſuccedat, ſed *ulterior affluxus* impurorum humorum ceſſet & *concretio* eò *facilius* & citius conſequatur; quæ ſingulæ animadverſiones circa *Balſamicorum* modum operandi annotandæ ſunt.

§. XIX.

Convertimus nos ad SEDATIVA remedia, quorũ operandi modum etiam exponemus: in *genere* vero hoc loco de *Sedativis* loquimur, ſive fuerint *Anodyna*, ſive *Narcotica*,

quip-

quippe qualia remedia in effectu ſuo *gradu* utplurimum differunt, dum Narcotica *potentiorem* minusque ſecurũ effectum habent; neque iterum placet de *ſecuro* Sedativorum uſu, ſed de *modo operandi* diſſerere: quo loco denuo *falſas* & imaginarias *theorias* excludimus, quæ *paſſim* in ſedativorum modo operandi explicando circumvolant: ita communis *fabuloſa* eſt ſententia, quaſi *Sedativorum* remediorum *ſulphur* ſpiritus *obnubilet*, *obſcuret*, *turbet*, *liget*, *figat*, *incraſſet* & coerceat, quo minus in partes *effluant*, ſed in *cerebro* ſubſiſtant, unde *torporem* & *ſomnolentiam* conjunctam theoretici derivant: nonnulli viciſſim tradunt & ſupponunt, quod *ſulphur* Sedativorum remediorum *poros cerebri* deobſtruat, quo minus *intra cerebrum*, neque etiam *ex ipſo* cerebro *ſpiritus* fluere & *effluere* queant, abhinc *ſomnolentiam* & ſenſationis imminutionem pendere aſſerunt: alii iterum de qualitate *frigida* ſulphuris *Narcoticorum* remediorum *mira* proferunt, *nihil* vero demonſtrant, adeoque per diverſas *imaginationes*, traditiones & ſpeculationes vagantur: iterum interdum aſſeritur, quaſi *ſulphur* narcoticorum remediorum *poros ſanguinis* obſtruat, calorem naturalem *extinguat* & ita *torporem* & ſomnolentiam cauſſetur: miſſis vero talibus immaturis & *obſcuris* ſententiis, placet potius ex *evidentioribus* phænomenis Sedativorum modum operandi explicare: gaudent itaque *Sedativa* remedia præter *alia* principia, prædominante *ſulphure vaporoſo*, *fuliginoſo*, *oleaginoſo*, *expanſivo*, *adverſo*, quod facilè *olfactui* ſeſe prodit; & hoc ſulphur non modo *intime* per *humores* ſeſe expandit & *incommodis* atque moleſtis ſanguinis expanſionibus & *turgefactionibus* anſam præbet, prout *effectus* teſtatur, ſed & *ſenſibilibus nervoſis* partibus perquam adverſum & *tædioſum* eſt, ſicut *odor* talium remediorum imprimis olfactum *moleſtè* afficit; quam *ſenſibiles*

vero ſunt *nervi* in partibus *externis*, ita æque ſenſibiles & interdum adhuc *ſenſibiliores* ſunt in *interno* corpore; quam *vaporoſum* eſt ſulphur narcoticorum ab *extra* oblatorum, ita æque vaporoſum & adhuc *magis* tale eſt, *internè*, ubi *caloris* motu impellitur, adeoque adhuc *magis expanditur*; quam *adverſum* & tædioſum hoc ſulphur *in externis* organis, *eo magis* adverſum eſt in *interno* corpore: hæc *averſio* vero non *corporis* qualitas, ſed *animæ* operatio eſt; quare per *Narcoticorum* oblationem graviter offenditur & *moleſtatur anima* in ſuo corpore, unde non modo *genericam* talem *averſionem* & abhorreſcentiam *Narcoticorum* obteſtatur, ſed & propter hanc nimiam moleſtiam in *confuſiones* quasdam & *deliras* actiones delabitur; quam *diverſa* vero ſunt ſubjecta talia *Narcotica*, quo magis *gradu* differt illorum *offenſio*, quo *magis* aut *minus* natura hæc ſubjecta *averſatur*, eo *majora* vel *minora*, eo magis *ſpecie diverſa* deliria ſuperveniunt, uti de *opio*, *Hyoſciamo*, *Mandragora*, *Datura* &c. paſſim authores teſtantur: *communis* vero effectus, qui *Narcoticorum* uſum ſequitur, eſt *ſopor*: hunc medicamenta non *efficiunt*, ſed quemadmodum in *ordinario* ſtatu ſomni *primaria* cauſa eſt *anima*, quæ à *ſenſoriis* organis *activitatem* & attentionem ſuam *ſubtrahit* & quieti indulget, iterumque poſt aliquod tempus cum activitate ſua *ad organa* ſenſoria ſe applicat: quæ cauſa *principalis ſenſationis* eſt & ſenſationem utplurimum *augere* & *minuere* poteſt, ita *ſopor*, quem *Narcotica* cauſantur, *animæ* effectus eſt; hæc enim *propter* oblatum *adverſum* narcoticum *conſuetam* ſuam ſenſationem & *activitatem*, qua præcipue *organis* ſenſoriis invigilat & proſpicit, *ſubducit* & quia præſens remedium vaporoſum *averſatur*, *ſenſationem* qua cum *illius præſentiam* advertit & *percipit*, tam diu & in tantum *deſerit*, ne ulteriorem *moleſtiam* excipiat & *percipiat*, hinc *ſo-*

mno

mno imo ſopori indulget, *donec* interea hoc *inimicum* & adverſũ ſulphur *vaporoſum* ſive per *diaphoreſin* ſive per *diureſin* per *conſuetas* commotiones, *vitalitati* ſubſervientes *evacuaverit*; remanet interim ſatis eximius *torpor* tum in *animo* tum in reliquo *corpore*, quoniam ad *prægreſſum* ſomnum valde *moleſta* & *adverſa* cauſa contribuit: recte itaque *Narcotica* dicuntur *ſtupefactoria*, quoniam ad *ſenſationis confuſionem* & abolitionem contribuunt: & ita *mitiſſimum* ex anodynis remediis *tali* modo operatur, videlicet *Cinnabaris*, quæ è duplici *tali* principio conſtat, quod partibus *nervoſis* quantisper *moleſtum* eſt, uno *mercuriali*, altero *ſulphureo*; hinc Cinnabaris non modo *ſenſum relaxat*, ſed & *motus mitigat*, licet propter ſuum ſulphureum principium interdum *ſpumefactoriis* ſanguinis commotionibus excitandis & augendis ſatisfaciat; hinc *præſentibus orgaſticis* & *febrilibus* commotionibus oblata, æſtum *auget*: exinde vero etiam facile liquet, quanta cum *prudentia Sedativa* remedia commendari debeant, quoniam *ſenſationem*, quæ aliàs ad *vitalem* œconomiam valde *neceſſaria* eſt, *enervant* & ſtupefaciunt, *genuinam* vero cauſam morbi *non* attingunt, neque *evacuant*, unde ad *palliativas* & *ſuperficiarias* curationes contribuunt, in quibus tantum *perceptio* & ſenſatio *morbidarum* moleſtiarum demulcetur & *obtunditur*, *cauſa* vero mali *intacta* relinquitur: inde fit, ut quia *natura* malum præſens *non ſentit*, illa *huic* etiam *non reſiſtat*: hinc cauſa morbifica *accreſcit*, ſui *juris* fit & œconomiam animalem *ſubjugat* atque deſtruit: hæc damna *certo* è *nudo* ſedativorum uſu metuenda ſunt: & hæc placuit de Sedativis *genuinis* & illorum modo operandi ſignificare: dantur vero etiam adhuc *alia* remedia, quæ non modo *ſenſus*, ſed & *motus leniunt*, qualia ſunt omnia *relaxantia* & valde *emollientia* (uti ſimpliciſſima cutis emolli-

tio per *pinguia*, fomenta calida, ſaponaria &c. eminentem *inſenſibilitatem* infert) quæ vero *genuinis anodynis* & narcoticis accenſeri non merentur: denique de *talibus* ſedativis, præcipuè de *narcoticis* remediis ſciendum, quod ſenſum quidem *obſtupefaciant*, *motus* vero *non emendent*: hinc in *ſpaſmis* & *convulſionibus* adhibita ſenſum dolorum & *cruciatuum* quidem *hebetant*, *motus* tamen illos haud mitigant, niſi ex ſumma *confuſione* natura ab una *extremitate* in alteram delabatur: utpote qualis ſenſuum *perturbatio* ſubinde ad *varias* alias connexas *confuſiones* & perverſiones occaſionem præbet, id quod tam in *moralibus*, quam *vitalibus* negotiis cum numeroſis exemplis illuſtrari & confirmari poſſet.

§. XX.

Iam ferme ſtadium *principaliorum* Alterantiam percurrimus, ſed poſtulabit etiam occaſio, quo SPECIFICORUM remediorum mentionem faciamus, quæ *evidenti* & *notatu* admodum digno effectu *Alterantem* ſuam qualitatem comprobant, quoniam *citra* ſenſibilem *evacuationem* utplurimum operantur: non jam illam quæſtionem decidemus, an *dentur ſpecifica* remedia, an *tuto* adhiberi poſſint? *quo modo* uſurpari debeant? *quænam* ſint ſpecifica remedia? ſed interea præſupponimus *cardinalem* illam aſſertionem, quod omnino *ſpecifica* medicamenta *dentur*: ſubinde merito monemus, ne *confuſio* committatur inter *ſpecifica* & *univerſalia*, ut & ne *communis* ſpecificorum numerus pro vero, certo & *indubio* reputetur, ne tamen etiam exiſtimetur, quaſi præter tam *parcum* ſpecificorum apparatum, qualis quidem vulgo conſtat, neque *alia* ſpecifica alibi occurrant, aut exiſtere poſſint, cum in *contrariis* phænomenis & *experimentis* deprehendamus, quam *ſpecialiſſimi* & interdum *admirandi* effectus per *ſimpliciſſima* remedia producantur, ut interdum vilis & ſimplex *opilio* & *ruſticus*

lon-

longe præſtantiores effectus cum *viliſſimis* ſuis remediis edat, proferatque, quam laborioſiſſimus *Pyrotechna* & acutiſſimꝰ *chymicus* cum *pretioſiſſimis* ſuis arcanis, pulvillis, oleis, Tincturis, ſalibus, ſpiritibus, mercuriis, ſulphuribus &c. illud porro de *Specificis* noſſe confert, quo illorum efficacia *ſpecialiſſimæ* cauſæ, parti, morbo &c. reſpondeat, neque ad *alios* morbos extendi & cum *eadem utilitate* applicari poſſit: nunc vero propius in illorum modum operandi introſpicere volumus & indicabimus, quid de eodem ſentiendum & ſperandum ſit: in hac conſideratione duplicem *offenſionem* evitare debemus, *primo* ne autumemus, quaſi *ſpecifica* cum *ſedativis* communia ſint; cum *ſpecificorum* efficacia haud *primario* in dolorum mitigatione conſiſtat, ſed *motuum* correctionem & *alterationem* involvat, v. g. ne in *hydrophobia*, *lycanthropia*, *morſu ſerpentum ictu ſcorpionum* tam ſæva & vehementia pathemata continuent, ſed *motus*, *ſenſus* & *effectus morboſus* ceſſent & deſinant: ubi una requiritur, quo ſub tali *complacatione* motuum etiam ſubtiliter communicata *pernicioſa* materia *ſucceſſive* eliminetur, ſiquidem *benignius* & mitius ſine tanto motuum *ſtrepitu*, impetu, *gradu*, ſtatu & apparatu materia noxia evacuari poteſt; teſtimonio hominum, cum miaſmate *peſtilentiali* infectorum & tamen *peſte* non laborantium & illorum ſubjectorum, quæ hoc morbo correpta ſunt: neque *deinde* credendum eſt, quia quorundam *ſpecificorum* medicamentorum *effectus* in *retentionem* & *adſtrictionem* deſinit, aut quia *quædam* ſpecifica *adſtringentem* effectum etiam poſſident, quaſi non modo *hæc*, ſed & *reliqua* ſpecifica per *adſtrictionem* operentur; teſtimonio *millefolii* in ſpaſmis hypochondriaco-hæmorrhoidalibus, *dentis hippopotami* in hæmorrhoidum & menſium fluxu, *urticæ minoris*, *equiſeti*, *polygoni* &c.

inte-

interim etiam in hiſce remediis adeſt *ſpecifica* illa *relatio unius* hujuſcemodi ſubjecti adſtringentis *ad hanc* vel *aliam* partẽ; ubi hæc remedia inter ſe non *confundi* debent, ſub illa opinione, quia in hoc loco tam *ſalutarem* effectum per *adſtrictionem* exſerit, ergo eundem effectum in *alio* loco edere deberet; quæ *univerſalis* applicatio repugnat *diſcretæ texturæ* & *ſenſibilitati* partium; quis enim quæſo in *oleo ſcorpionis*, *hepate canis* & *lupi rabidi*, *carne viperina* &c. poterit ex certo & indubio fundamento *adſtringentem* aut *ſedativam* efficaciam accuſare? ſed nunc nodus gordius ſolvendus erit, quando noſtro officio ſatisfacere & *modum*, quo *Specifica* operantur, exponere debemus: minime negamus, quod *aliqua* è remediis ſpecificis per modum *adſtrictionis* operentur; ſed eſt ſane etiam hæc *adſtrictio ſpecifica*, quæ non *omnibus* partibus & morbis *æqualiter* competit: *alia* vero *Specifica* operantur in *motus*, quos *temperant*, tranquillant & componunt, ne *excedant*, quo deinde ſub majori quiete & *continentia* natura communicatum *miaſma* citius & *efficacius* removere & *emovere* poſſit; quamdiu enim *poſt inſinuationem* pernicioſæ materiæ *motus* vel *excedunt*, vel *deficiunt*, *circumvagantur*, vel inordinati ſunt, tamdiu non modo noxium *miaſma* magis *exagitatur* & commovetur, ſed & *juſta* illius *excretio* perturbatur, quamprimum viciſſim illi motus *mitigati* ſunt, tunc non modo materia *peccans* paulo *facilius ſubjugari* ſed & *commodius evacuari* poteſt: *quomodo* vero *ſpecifica* quædam remedia motus *temperent*, id neque *phyſicis* neque *medicis* rationibus indubiis & luculentis hactenus demonſtratum fuit: quæ tamen ratio *ſubtili relatione ſenſationis* naturæ *adoblatum* remedium nititur; ſicut in *moralibus* functionibus æque interdum *anima* leni & *ſubtili* quadam methodo *temperari* ſolet, ut *craſſo* quodam freno non opus ſit: difficultas cur ratio *manifeſta* de hoc

medi-

modo operandi reddi non poſſit, in eo *parallelo* phænomeno agnoſci poteſt, quia *individuales ſenſationes* & æſtimationes objectorum ex *intimiori animæ* operatione fluunt, videlicet, cur homines *unum* ſubjectum *præ alio appetant* aut *fugiant*, teſtimonio colorum, ſonituum, ſaporum, odorum: interea *effectus* de Specificis *indubius* eſt, quod motus *tranquillent*; proinde antea brevibus indicavimus, quod hæc mitigatio non per modum *communis ſedationis* aut palliationis ſuccedat, quia ſimul *cauſa* mali tollitur, quapropter *talia* remedia *juſte* dicuntur *Specifica*, quorum modus operandi ex parte quidem *illuſtrari* & explicari poteſt, ex parte vero *craſſam* aliquam deſcriptionem non admittit, quia eſt *ſpecificus*: æque ac *anima* hominis interdum *ſpecialiſſimas* functiones adminiſtrat, quarum *modus fiendi craſſis* ideis deſcribi & exponi non poteſt; interea *fruſtra* eſſet, illas operationes ab activitate & *energia* animæ *ſeparare* velle.

§. XXI.

Non placet in præſenti *Alterantium* commendatione ad *ſpecialiſſimos* titulos progredi, neque juſtos & *conceſſos* limites transgredi, ſed denique filum totius hujus tractationis abrumpere, ſiquidem *ſpecialiſſimæ* deductiones & applicationes ex hactenus traditis *generalibus* & *fundamentalibus* animadverſionibus fluunt: Unum adhuc ſupereſt cujus adhuc circa finem memoriam injicere lubet, nimirum SYMPATHETICORUM remediorum & illorum modi operandi: ſed mox confitemur, quod ſatis *ardua* hæc ſit deductio, in qua rationes *phyſicæ* parum utilitatis hactenus obtulerunt: dari *ſympathetica*, non negamus; dari talia quæ & *conſciis* & *inſciis* hominibus effectum ſuum exſerunt, perinde conſtat; quod vero *non omnia* remedia, quæ *hoc nomine* ſalutantur, *vera*, certa & *genuina* ſint, communi materiæ medicæ *fato* adſcribendum eſt; in horum *ſympathetico-rum* explicatione vulgo ſatis *obſcuræ* & *intricatæ* theoriæ circumvolant; quidam confugiunt ad *ſpiritus*, ſed eo ipſo *obſcurum* per æque *obſcurum* proferunt; ſiquidem theoria

de ſpiritibus, in medicina uſitatis, *imaginaria* & ſpuria eſt, neque ullo *ſolido* fundamento nititur, unde utplurimum in deductione & *applicatione* ſua fabuloſa & *comica* exiſtit: nonnulli confugiunt ad *magnetiſmum*! quod vero *hoc nomine* intellectum velint, altum eſt *ſilentium*, aut *obſcura* & *confuſa* declaratio, quare recte aſſerit *Garmannus de Mirac. mort. Lib.* 1. *tit.* 2. §. 29. *magnetiſmus ille mumialis otioſi cerebri eſt commentum, è lacunis Paracelſicis hauſtum*: iterum quidam provocant ad *Archeum*, *qualis* vero ille ſit & quid *valeat* atque operetur in negotio *Sympathiæ* valde ambigunt & tergiverſantur: aliqui accuſant *unionem ſpirituum* & *ætheris* ſive *atomorum* & ex fallacibus atque *incertis experimentis* veritatem ſui aſſerti haurire volunt, cujus rei mentionem fecit prælaudatus *Garmannus l. c.* §. 23. *ſeqq.* alii plane ad *ſpiritum mundi* adſcendunt, eundemque ad *ſympathiam* in conſortium trahunt, quæ vero explicatio valde *myſtica* eſt & nudis *ſuppoſitionibus* nititur: quidam *genios* accerſunt, iisdemque officium *ſympathiæ* committunt & adſcribunt: ſed ſane in ſingulis hiſce theoriis deeſt *fundamentum* & adeſt mera *opinio*, perſuaſio atque ſpeculatio, nos ſine ulla *ſuppoſitione* ſignificabimus *quo usque* in theoria ſympathiæ *intellectus* noſter pertingere queat: in *quibusdam* experimentis plurimum valet & abſolvit *firma*, conſtans & *contumax imaginatio*: ſecundum illud: wie du glaubſt, ſo wiederfähret dir: quam *ſtupenda*, potens & activa ſit *vis imaginationis* humanæ *innumera* exempla probant; ita ut *ſuperfluum* opus eſſet, ſi *teſtimonia* quædam allegare velimus: quando enim *conſciis* ſubjectis experimenta quædam pro hoc aut alio *affectu* inſtituuntur, tunc *totus animus* in illa defixus eſt, cum *contumaci* recordatione, quod per experimentum pro afflictione præſenti opem ferre debeat, inde contingit, ut ſecundum *firmam* hanc perſuaſionem & contumacem recordationem *natura tacite* tales *motus* inſtituat, qui huic *ſperatæ* & in *imaginatione* hærenti recordationi & opitulationi quadrant; cujusmodi exem-

pla

pla in contrarium ſane multa proſtant, teſtimonio *paroxyſmorum febrilium* per *imaginationem* recurrentium: uti *D. D. Præſidi* cognita eſt virgo, quæ prodigis *narium hæmorrhagiis* obnoxia erat: hæc *quotiescunque* in rebus oeconomicis & domeſticis *ſanguinem* animalium mactatorum profuſum *conſpexit*, toties ſuarum Hæmorrhagiarum *recordabatur*, & confeſtim Hæmorrhagiam narium largam *actu* ſubibat: hinc etiam viciſſim euenit, ut *talia* ſympathetica *nihil* operentur in ſubjectis *rudioris* & *inſenſibilioris* animi, minus *terrori* & *averſioni* ſive *nauſeæ* obnoxiis, adeoq; in *imaginatione* ſegnioribus & *ſtupidioribus*: ridicula eſt hiſtoria, quæ ante aliquot annos *D. D. Præſidi* obtigit: hunc in conſilium vocavit virgo *mollioris* timidioris & *ſenſibilioris* animi, de copioſiſſimis *verrucis*, manus ipſius deformantibus ſollicita: huic ad manus applicavit fruſtulum exſiccatæ *cutis humanæ*, quod tamen appoſitum fuerat *clauſis* virginis oculis & deinde deligabatur: interea *anxia* fuit virgo de remedio adhibito, quod conſtanter *averſabatur*, licet de eodem *conſcia* non erat, interim *hariolabatur*, quod forte aliquid de *decollato* aut *ſuſpenſo* homine ſit; poſt præterlapſum quadrans horæ ſpatium liberabantur manus, adeo ut virgo *conſpicere* potuerit adhibitum remedium, inde *exhorruit*, ſed altero die verrucæ *exſiccari* ceperunt & brevi poſt evanuerunt.

§. XXII. Quid de *ſympatheticis* curis ſentiendum ſit, quæ *inſcio* aliquo ſubjecto procedunt, tunc certe hoc negotium explicatu admodum *difficile* judicamus: interim negare non poſſumus, quam *ſubtilem* conſenſum *anima* cum objectis & motibus *extra* ſuum corpus conſtitutis habeat, teſtimonio hominum, qui vocantur wetterwendiſch: aut quomodo quidam homines *præſentiant* mutationes tempeſtatum: ibi ſane valde *ceſpitabunt* illi, qui efficaciam *mutati* aëris in *Barometro* ad corpus humanum *vivum* frivolè *applicare* volunt, cum *ſubjecta* in quæ *aër* mutatus operatur, enormiter *differant*: nos potius illas *alterationes* in corpore *vivo* obtingentes, ſubtili *præſenſioni* adſcribimus, ſicut aliàs anima *craſſas* mutationes *ſenſu* percipit & *ſecundum* hanc perceptionem *motus* immutat, cum *ſuppoſita* illa *effluvia* motus vitales *effective* variare non valeant: *ita ſimile* experimentum *conſenſus* animæ cum *macrocoſmicis* mutationibus occurrit in *mutationibus* macrocoſmi & microcoſmi *æquinoctialibus*: *quomodo* vero hic conſenſus contingat, *craſſum* noſtrum intellectum fugit, ſicut *ſubtiles* has animæ operationes *ipſa anima craſſo* ratiocinandi modo non capit, quæ ipſa anima etiam non comprehendit, *quomodo cogitet*, ideas formet, reminiſcatur rerum præteritarum &c. & tamen *cogitat*, &c. adeoque hæ *ſubtiles* mentis operationes neque *in ſenſum*, neque intellectum *craſſum* cadunt; quale eximium *Specimen* etiam obtingit in *nævis maternis*: ubi mater certa *objecta percipit*, contumaciter in *animo* circumvolvit, in *imaginatione* retinet, hanc *ideam* in *fœtum* transfert &c. hinc factum eſt *indubium*, *modus fiendi* vero *concipi* non poteſt; eapropter tamen *factum negari* non poteſt: brevibus ita indicamus, quod *occultæ* tales *ſympathiæ* nitantur illo *ſubtili ſenſu* & *conſenſu* per

 quem

quem *anima* humana cum rebus *naturalibus* eſt conjuncta: & licet hoc negotium in *pſychoſophia* nondum valde cognitum ſit, attamen *eapropter* negari aut *contemni* non poteſt; ita enim in *craſſis* phænomenis interdum *anima* quibusdam ſubjectis & *objectis* adeo *indulget*, aut immerſa eſt, ut illorum *jacturam* & offenſionem *ægerrime* perferat, unde illud proverbium innotuit, man wûſte ſchon einen am rechten Ort anzugreiſſen, wo es einem wehe thut: ſi itaque quidam cum *ejusmodi* ſubjectis experimenta inſtituit, cum quibus *anima* alicujus hominis *ſubtile commercium*, & *intimiorem conſenſum* habet, tunc *graviter* exinde *anima* turbari poteſt, ut hæc ſubinde in *corpore* ſuo varias turbas & *confuſiones* inſtituat; quæ deinde *temere diabolicis* artificiis imputantur: cum rectius experimenta illa nitantur *hoc conſenſu* animæ cum rebus naturalibus; etenim *anima* humana in hac rerum univerſitate non modo inter res *naturales* verſatur, ſed & *cum illis quotidianum* commercium habet, quare cum *diverſis* ſubjectis modo *craſſius*, modo *ſubtilius* firmiter & *intime* conjungitur, qui *modus conjunctionis* adeo *craſſe* deſcribi non poteſt; æq; ac *unus* homo *præ alio* cum organis ſuis *ſenſoriis* externis *acutius* & *exquiſitius* operatur, quod certe non propter *diverſitatem* organorum, ſed *activitatis* contingit: qui *modus* tamen *diſtinctæ* activitatis adeo *craſſe* explicari non poteſt: hinc *variis phænomenis* & *demonſtrationibus* declaravimus, quod *occultæ ſympathiæ* tali *conſenſu* animæ cum rebus naturalibus nitantur, qui *modus* hujus conſenſus (ut adeo inculcemus) adeo *craſſe* declarari non poteſt: etenim *ipſe actus* eſt *ſubtilis*, adeoque eo minus *proceſſus* atque *modus* illius actus *craſſis* quibusdam recitationibus & *ideis* explicari poterit, & optandum eſt, quo eruditi in hac *hiſtoria communionis animæ* cum rebus *naturalibus uberiora* facta & *ſpecimina* obſervent, ſiquidem in hoc ſtudio ſane eximius *defectus* adeſt, qui aliquali *emendatione* indiget & ſane *majus* emolumentum ſperandum eſſet, ſi ejusmodi *vera phænomena* paulo *copioſius* inclareſcerent, quam ſi per *otioſas* & falſas *ſpeculationes* circumvagemur; placuit itaque hujus *delicatioris* & ſubtilioris conſiderationis *breviſſimam* mentionem injicere, licet *uberiores* illuſtrationes, confirmationes & demonſtrationes, ad idem negotium pertinentes, addi poſſent; ſed forte hæc *moralis* deductio & *animæ* competens theoria non omnibus ad *palatum* erit, quia ab *avtomaticis* illis meditationibus diſcrepat, dum animam & corpus non *confundit*, ſed utrumque ſubjectum *in ordine* & foro *congruo* perpendit: ſed forte etiam *non omnes* hoc verbum capiunt, quia multi *aſſenſum* ſuum denegant, quoniam aliquod *phænomenon non craſſe* concipiunt, non *oculis* percipiunt, neq; manibus *palpant*. Mittimus vero jam *totam* hanc tractationem de *Medicamentorum modo operandi in corpore vivo*, quam *quatuor* Speciminibus hactenus commendavimus: Deo itaque ſuum tribuimus, & pro concesſis viribus devotisſimas gratias perſolvimus: huic præſentem laborem vicisſim conſecramus & humillimè rogamus, quo eundem cum conſtanti ſua benedictione comitetur, ut medicam artem hujusque veritatem & ſinceritatem ſemper adjuvet atque promoveat.

(o)

INDEX RERUM.

A.

Abſorbentia quænam dicantur & quomodo operentur. pag. 148. §. 12.
Abſtergentia quænam ſint & quomodo operentur 145. §. 11. in quibus morbis conducant p. 147.
Aceta pharmaceutica num reſolvant 142.
Acida quomodo coaguleat pingvia ſubjecta p. 15.
Acida & auſtera cur tuſſim commoveant p. 73.
- num reſolvant. p. 141.
Acidulata quomodo materiæ malignæ repugnent. p. 210.
Acidulæ & thermæ num aperiant 139
Adſtringentia quænam ſint. 127. §. 4. unde pendeat adſtrictorius motus 128. effectus illorum num ad locum affectum pertingat. 129. §. 5. & 18. § 6, 7. quomodo operentur p. 131. §. 6. ſeqq.
- cur exſiccantem qualitatem habeant. p. 191.
Alimenta num vires præbeant. 218.
Alterantia quænam dicantur & quotuplex eorum effectus p. 120. §. 1. in quas partes operentur §. 2. p. 122. & p. 182. §. 3. eorum effectus ſalutaris unde dependet. ib. cur aliæ cauſæ rejiciuntur. §. 3.
- num materiæ qualitates invertant p. 177. §. 1. num acrimoniam ſanguinis immutent p. 178. effectus quomodo duplex. p. 179. §. 2. unde dependet p. 180. num ab effectu phyſico. p. 182. eorum ſpecies quomodo natura adminiſtret. p. 184.
Amara quomodo vim aperitivam habent. p. 139.
- cur ſtomachica ſunt p. 205.
Anima quomodo commercium habet cum medicamentis vid. præfatio Introductoria.
Anodyna vid. ſedativa.
- & narcotica num Venerem enervent p. 216.
Antaphrodiſiaca quænam dicuntur. p. 213. §. 14. & quænam ſunt ibid. nitrata quomodo huc referenda p. 214. refrigerantia ibid. adſtringentia num talem vim habent. p. 215. camphora quid præſtat ibid. ſanguinis miſſiones. p. 216.
Anthelmintica quomodo operentur p. 90. quænam ſint. p. 91. quænam ab extra operantur. p. 92.
Antidota quænam dicuntur p. 208. §. 13. materiæ malignitas num deſcribenda ibid. quomodo alterari debet. p. 209. acidulata quomodo malignitati repugnent ib. ſpecifica num dentur. ibid. eorum operandi modus quomodo adhuc latet. ibid.
Antiſcorbutica quænam ſint & quomodo operentur. p. 150. §. 13.
Aperientia quænam dicantur p. 135. §. 7. quomodo operentur p. 136. martialia num aperient. p. 137. radices 5. aperient. num aperient. ibid.

ibid. quomodo reſolventia & alia vim aperitivam habent p. 138-140.
Aphroſidiaca quænam dicuntur p. 210. §. 13. quomodo operentur p. 212. ſeq.
Apophlegmatizantia quænam ſunt p. 74. §. 7. quænam alterius ſpeciei. p. 77. § 8.
Applicandi modus remediorum quo fundamento nititur p. 12.
Applicatio ſpeculativa ad corpus vivum quomodo fallax. p. 13. § 13
Aromatica cur calefacientem vim habent p. 197.
- cur ſunt ſtomachica. p. 205.
Ars medica quomodo ſine Naturæ ſynergia infirma. p. 19.
Arſenicalia cur vomitus provocant. p. 26.
Artifex quomodo nudis remediorum elogiis non inhæreat. p. 14.
Attrahentia quænam ſint & quomodo operentur. p. 168. §. 19.

B.

B*Alſamica* quænam dicuntur p. 224 § 18. quomodo operentur p. 225. in phthiſi, hectica & gonorrhœa quid faciunt. p. 226. quomodo a corruptione præſervant. p. ibid.
Bonus theoreticus quomodo evadit malus practicus. 7.

C.

C*Alefacientia* quando ordinanda p. 195. § 8 calor naturalis unde ibid. aromatica, ſulphurea & acria reſinoſa cur calefaciunt. p. 196. impulſus ſanguinis quomodo calorem producat ibid. calor fimeti & fœni acervi unde. ibid. calorem quid extinguit ibid. frictiones ſuperfic. item balnea cur calefaciunt. p. 197. quænam amplius calorem promovent. p. 198.
Camphora quomodo exſiccet & diſcutiat p. 191. & 158.
- Venerem num debilitat p. 215.
Carminativa vid. ſtomachica
- quomodo operentur 206. cum quibus conveniunt. p. 207
Catharctica quænā rejiciuntur p. 33.
Celſi exclamatio quænam de corpore vivo & mortuo p. 10.
Cepæ plantis pedum applicatæ quomodo expectorationem in infantibus promovent p. 74.
Certitudo remediorum abſoluta num datur 21.
Cinnabaris unde conſtat & qualem vim habet 119. & 229.
Clyſteres qualem vim habent 207
Coctio in febribus quid ſit 186.
Conſenſus macrocoſmi cum microcoſmo unde. 235.
Corpus vivum cum mortuo num confundendum. 10.
Croci Venerei qualem vomitum excitant. 25.

D*Iaphoreſis* quomodo ab animi pathemate turbari poſſit. 35.
Diaphoretica quomodo operentur 34. §. 14. p. 37. 38.
- quasnam circumſtantias requirunt. 35. quomodo diverſæ ſint efficaciæ p. 36. §. 5. quænam ſint. p. 38.

num

num phyſice tantum operentur p. 18. §. 6. & p. 35. §. 14.
Differentia quænam corporis vivi & phyſici p. 10.
Directio effectus remedii ad loca remota unde. p. 18 §. 5.
Diſcuſſio quomodo a natura pendet p. 186.
Diſcutientia quomodo diſcrepent a reſolventibus p. 156. §. 15. quomodo operantur. ibid.
Diureticorum quænam cauſæ p. 42. §. 18.
- diverſus operandi modus p. 40. §. 17. quotuplex. p. 43. num phyſicis cauſis ſolum adſcribi poſſit p. 40. annon potius naturæ competat. ibid.
Diuretica quomodo Venerem ſtimulent p. 213.

E.

EDulcorantia circa quod verſentur p. 153 §. 14 quænam ſint & quomodo operentur. p. 154. & 155.
Effectus medicamentorum phyſicus & medicus quomodo differat. p. 122.
- medicus unde pendet. p. 66.
Emmenagogorum encomia quare dubia. p. 46.
Emollientia circa quod verſentur p. 162. §. 17. quænam ſint p. 163. quomodo operentur ibid. in quibus affectibus conducant. p. 164. topica emollitio quomodo ſuccedat. p. 165.
- quomodo a natura provenit. p. 187.
Epulotica & eſcharotica quænam ſint, & qualem effectum edant. p. 192. in foro chirurgico quid præſtent & quomodo operentur p. 192. §. 7. affluxum quomodo cauſentur ad cruſtam. p. 193. quænam ſunt ſpecies ibid.
Errhina quomodo operentur p. 78.
Eſcharotica vid. Epulotica
Exanthematum evacuatio quomodo fiat p. 93. §. 14. naturæ dominio quomodo ſubjacet. p. 94. quale regimen requirant. p. 95. & qualia remedia. p. 96. 97. num aliæ ſpecies p. 96. §. 26. frictio quid efficit p. 97.
Expectorantia quænam dicuntur p. 67. §. 3. quinam reſpectus obſervandi. p. 68. ubi locum inveniant. ibid. quomodo operentur. p. 69. §. 4. & p. 70. effectus eorum quotuplex ibid. unde dependet. p. 71. ab extra quænam expectorent p. 73. §. 6.
Exſiccantia quænam ſint & quomodo operentur p. 190. §. 6. quomo adſtringentia talem effectum habent. p. 191.

F.

FLatus quomodo retinentur p. 99. §. 17. flatuum diſcuſſionem quænam promovent. p. 100. unde dependent. p. 101. flatus quomodo generantur p. 206. clyſteres carminat. quomodo diſcutiunt. p. 207. ad flatuum augmenta quid contribuat. ibid.
Fictiones & opiniones in medicina cur nullam habent utilitatem p. 6.

Operatio medicamentorum nude phyſica quomodo magis noxia quam proſiſcua p. 64.
Operandi modus in corpore mortuo num habet utilitatem. p. 11.
- - num nudis phyſicis cauſis nitatur. ibid.
- - quomodo conſiſtat in debita applicatione p. 12. §. 3.
Operandi modum cur omnes uno eodemque modo perferre nequeant. p. 14. 15.

P.

Parotica quænam ſint & quomodo operentur p. 193.
Pilulæ ſtahlianæ quales effectus edant. p. 33.
Pinguia cur nauſeam movent. p. 25.
Phyſica cognitio in medicina num ſit ſufficiens p. 7.
Phyſica & medica tractatio quomodo diſcrepent. p. 60.
Phyſica & medica theoria cur tot falſis ſententiis referta p. 174.
Praxis per ſimplicia quo fundamento nitatur. p. 124.
Ptarmica quænam ſint. p. 79.
- & errhina quomodo differant. p. 78. & 79.
Puerpera quomodo a pilulis ſtahlianis 20. dejectiones habuit. p. 33.
Purgantia quomodo operentur. p. 26. §. 10. eorum effectus diverſus. p. 27. quomodo â natura pendet ille effectus ibid. quænam acrius operantur ibid. quare interdum mitius operentur. p. 32. § 13.
- quomodo â cauſis externis facile alterantur. p. 28. quomodo in 4. claſſes diſtinguuntur. p. 29. eorum operandi modus ibid. purgatio in ſantum per lac nutricis operatur. p. 30 §. 11. quænam fortius operantur p. 32. §. 12. quomodo mitiora interdum fortius operantur teſtibus pilulis ſtahlian ibid. quænam ab extra operantur p. 33. quomodo quædam per odorem pulvis contra caſum quomodo componitur. p. 142.

R.

Radices V. aperientes num ita vocari merentur. p. 137. § 8.
Ratio cur hunc tractatum edidit auctor. vid. proœm. ſpec. II. p. 59.
Refrigerantia quomodo in corpus vivum operentur. p. 198. §. 9.
- num ad extinguendos ardores conducant p. 199. quare ſedativa pro ſcopo refrigerante quadrent. p. 200. quomodo alia remedia ut acida, mucilaginoſa abſorbentia refrigerant. ibid. quomodo nitrum ſit optimum refrigerans. p. 201. ſemina refrigerantia quid efficiunt. ibid.
Refrigerantia num Venerem extinguant & quomodo p. 214.
Remedia quænam in ſpecialiores partes operentur. p. 124.
- quomodo in animam operentur p. 211. & 20.
Recentes ſententiæ quomodo materialia pro activis habent. p. 17.
Relatio remedii ad effectum quænam ſit. p. 10.

Re-

Remedia quomodo naturam excitent. p. 24 §. 9.
- num aliquid efficiunt, niſi motus concurrant vitales p. 15.
Remediorum varius operandi modus p. 20.
Remedia num directe hæmorrhagias promovent. p. 46.
- alvum aperientia quænam p. 30, & 31.
- lactis & ſpermatis augmentationem promoventia quænam p. 104. §. 19.
Reſolventia & discutientia quænam ſint p. 72. §. 5. quomodo dicantur & operentur p. 140. §. 9.
- quomodo a Wedelio nominentur p. 141.
- quomodo ab anima adminiſtrentur. p. 185.
Rubefacientia quomodo operentur. p. 87.

S.

S*Cientia* quomodo a Socrate & Seneca vocatur vid. ſpec. IV. prooem. ab initio Anaxarchus quid de Scientia dixit ibid. cur tot ſententiæ in ſcientia phyſica & medica. p. 174.
Sedativa p. 226. quomodo anodyna & narcotica differant. p. 227. eorum falſus operandi modus ibid. quomodo vere operentur ibid. quænam ſint. p. 228. quisnam eorum effectus ibid. quare narcotica dicuntur ſtupefactoria p. 229. quare Cinnabaris mitisſimum ſedativum. ibid. quomodo cum prudentia adhibenda. ibid.
Salia fixa intra pulmones inſpirata num corroſiva exiſtnat. p. 208. §. 12.
- quomodo operentur p. 143.
Salivæ intra fauces affuſio quomodo naturæ Dominio ſubjacet. p. 81.
- craſis quomodo alteretur ab animi pathemate. p. 75.
Salivationis modus fiendi & ſuccedendi p 80 §. 9.
Salivationis modus quomodo naturæ ſubjectus ſit. ib.
Salivationem provocantia quænam ſint. 82. §. 10.
Sanguinis misſiones num Venerem extinguunt. p. 226.
Sanguis quomodo a natura incraſſetur. p. 186
Sanguis melancholici num ponderoſior quam cholerici. p. 161.
Secundinarum, molarum & fœtus mortui excluſionem quænam remedia promovent p. 82 §. 23.
Serum cur intra inteſtina affundatur. p. 185.
Senſationum proprietas materiæ. p. 66.
Setacea quomodo operentur p. 89. quomodo magnum dolorem inferant, ibid.
Siccitas pectoris quomodo emendanda. p. 189.
Spaſmus nudus num vomitum efficit. p. 23.
Specifica unm dentur p. 124. & 230. §. 20. eorum effectus præ aliiis ſplendididis medicamentis p. 231. quomodo vero cum ſedativis non confundenda. ibid. ratio manifeſta cur reddi non posſit. p. 231.
- num effectum exſerant. p. 232. & 233. quænam ſint ib. quomodo operentur. ib.
Speculatio quomodo fallax. p. 13. §. 13.
Spermatis excretionem quænam remedia promovent. p. 105.
Sperma ceti num reſolvat. p. 142.
Spermatis augmentatio & evacuatio unde p. 104. §. 29.
Spiritus ardentes cur ſint ſtomachica p. 205.
- num facultatem ſentiendi & discernendi habent p. 67. § 2.
Spiſſiores humores quomodo a natura attenuantur. p. 185.
Stomachica & carminativa quænam ſint p. 204. §. 11. cur abſtergentia, incidentia, reſolventia, & mitiora laxantia ſtomachicorum vices tenent ibid. quare antiſpaſmodica, temperantia, lenientia & ſedativa ſtomachicum effectum habent. p. 205. quomodo operantur. ibid. num ratio reddi posſit, cur homo hunc vel illum ſaporem appetat. ibid.

Sudoris retropulſio quomodo damnum infert. p. 98.

Sudorem quomodo invitant alexipharmaca, pediluvia & balnea ibid.

Sudor ſanguineus in India quomodo per herbam provocetur. p. 49.

Syllogiſmus falſus quomodo rejicitur. p. 19.

Sympathetica num dentur p. 233. §. 21. eorum explicatio quomodo obſcura p. 234. imaginatio quid contribuat ibid. exemplo probatur. p. 235. quomodo inſcio ſubjecto operentur. ibid. ſubtiles ſympathiæ unde p. 236. num eorum modus deſcribi poſſit. ibid.

T.

TArtarus vitriolatus non rite præparatus cur cardialgias & vomitus provocet. p. 25.

Terrea corpora quomodo corroſivorum cauſticitatem temperent. p. 15.

Temperantia quænam ſunt p. 201. §. 10. naturæ directorio quomodo ſubjacent p. 202. quomodo lenientia & demulcentia temperent p. 203. Nitrum quomodo temperantem vim habet ibid. quomodo diluentia, mucilaginoſa, lacticinia abſorbentia, & emulſiva temperantem effectum exſerunt. p. 204.

Theoreticus bonus quomodo malus practicus eſſe poſſit. p. 7.

Theoria phyſica & medica cur tot ſententiis & opinionibus diſcrepet. p. 174.

Theoriæ medicæ num damnum afferunt tot diſſentientes opiniones de medicamentorum operandi modo. p. 13. §. 3.

Thermæ & Acidulæ num alvum laxant. p. 31.

Tonica quare ſtomachicam virtutem habent. p. 206.

Travmatica vid. Vulneraria.

V.

VEnenoſa & virulenta quomodo operentur. p. 101. §. 18. eorum effectus quomodo ſumme periculoſus p. 102. eorum excretio quomodo ſalutaris & unde pendet. p. 103. 104.

Venerea remedia quomodo vomitum excitant. p. 25.

Veritatem quomodo obſcurant ſubtiles ſpeculationes p. 13.

Veritas quomodo a Philoſophis vocetur vid. procem. ſpec. III. cur difficulter invenitur. p. 116. quomodo magis requiritur ad illam inveniendam τὸ ὅτι quam διότι.

Vermium expulſio quomodo fiat p. 90. §. 13.

Verrucæ quomodo ab imaginatione curatæ p. 235.

Veſicatoria quænam ſunt & quomodo operantur p. 85. §. 11.
- quomodo intus dolores excitant p. 85.
- quomodo a natura pendent. p. 87.

Vires num latent in alimentis p. 218.

Virium medicamentorum exploratio quomodo inſtituitur p. 64. unde pendent. p. 65. vires num ſunt res corporeæ. p. 218.

Vomitoria quomodo operantur p. 22. §. 8. quomodo ſenſui naturæ ſunt adverſa p. 23. quomodo ſunt conamen naturæ ib.

Vomitus num a medicamentis aut a natura perficiatur. p. 24. § 9.

Uterina remedia quænam ſunt. p. 54. §. 24.

Utilitates quænam ex hac tractatione profluunt p. 13. §. 4.

Vulneraria quænam dicuntur p. 221. num per ſe conſolident. p. 222. natura quid contribuit ibid. interna vulneraria cur non ſecura. ibid. quando internus uſus concedendus p. 223. quomodo operentur externe p. 224.